EPIGRAMMATUM MISCELLANEORUM

DECADES SEPTEM

Cum additione Carminum metri rarioris.

AUTHORE

JOANNE CASPARO de Böcken, J. U. D. Celsiff. ac Reverendiff. S. R. I. Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliario Aulico, & Civitatis Syndico.

Cum Permissu Superiorum.

Impensis Joannis Dratziecher Bibliopolæ Salisburgi.

Typis Melchioris Haan, Statuum Provincialium & Urbis Metropoliticæ Typographi & Bibliopolæ.

ANNO M. DCC. V.

EPIGRAMMATUM

MISCELLA-

NEORUM

PECUNDUS SEPTUM

Quindecim Centurias

Inclitis Iudicibus.

AUTHORE

IOANNE CASPARO

de Böcken, I. U. D. Celle. a

Reverendiss. S. R. I. Principis & Ar-

chi-Episcopi Salisburgensis Consi-

liario Aulico, & Civitatis

Syndico.

Cum Permissu Superiorum.

Impensis Joannis Dreyzlocher

Bibliopolæ Salisburgi.

Typis Melchioris Haas Sacro-

um Provincialium Typographi & Bi-

blio-

polæ.

ANNO M.DCC.V

Ad Lectorem.

NOn ſuccenſeo tibi, amice Lector, ſi admiranti, quòd neglecto vel ſuſpenſo ſacræ Themidi debito ſacrificio otioſus Poëtaſter gracili carmen modulatus avenâ, tenui Epigrammatici generis Muſæ vaco, officij fortaſſis mei rationem minùs benè, quam par erat, poſuiſſe, temporiſque inæſtimabilis pretium profuſus jactator iniqua æſtimatione penſitâſſe videbor: Tum quòd pleriſq; maximè indoctis perſuaſum ſit, Poëſin nonniſi otioſorum hominum ſterile negotium eſſe, & longè nobiliori ac utiliori operâ mentem ingenuam occupari poſſe, vel quòd etiam literatis quibuſdam viris non ſatis expeditum eſt, hoc ſtudium tantum temporis ſibi vindicare, & ita totum hominem rapere, ut is ad alia munia obeunda vel omninò incapax, vel ſaltem parum idoneus reddatur, cùm præterea tot támque præclari tum veteris, tum noſtræ ætatis authores Epigrammatibus ſcribendis adeò

adeò præstantem industriam navârint, ut omni ferè campo cum nobilissimæ herbæ depastione, & optimorum quorumlibet floscu-lorum deceptione ab iisdem jampridem occupato, fonticulísque Parnassi sacri hujus liquoris flumine plenè exhaustis, nihil amplius relictum videatur, quod dignitate materiæ, non dicam styli elegantia, & ingenii acie cum illis prioribus cum honore stari possit, ut proin meritò vereri debeam, ne, quod multis aliis accidit, etiam mihi eveniat, ut dum lucubratiunculas meas Juris publici facio, existimationis quoque publicæ periculum adeam, tutior futurus, si in latebris privatæ obscuritatis pagella tenebrosa pulvere domestico obliterata jacuisset: Aliter tamen & benignius, ut spero, illi, qui ita sentiunt, de me judicabunt, si intelligent, isthoc opusculum, cum alio jam antehac sub inscriptione: Manualis sacrorum Epigrammatum, suppresso nomine à me edito, nec unjus diei aut unjus anni laborem, multò minùs, multorum annorum continuatæ operæ texturam, sed ab ætatis inde adultioris ingressu successivè collectum spicilegium, & partim etiam juvenilis imma-

immaturitatis lolium esse, quod horis dum-taxat subsecivis, & eo tempore, quo alii poculis aut conversationibus indulgere, vel somno & quieti vacare solent, citrà ullam temporis jacturam, aut officii mei neglectum pro mea, amicorúmque honesta delectatione à me compilatum est, neque hanc editionem spontaneo pruritu, aut inanis gloriæ cupiditate, sed ideò fieri, ut aliorum desiderio, qui utilitatem quamdam ex merce hac modica se consequi posse, sperabant, satisfaciam, & quidem cum decretum mihi jam esset, etiam hæc carmina miscellanèa non alio, quám tecto nomine typo concredere, ex Superiorum verò Senatusconsulto id aliter, quàm si nomen authoris quoque præfigeretur, non liceret. Unde fiebat, ut vix non invitus ad id, quod modò fit, inductus, obtorto quasi collo in jus, & arenam publicam *traherer: dignus proindè, nisi spes me fallit, cui censuræ acerbitas aliquid indulgeat. Quòd si quis prætereà considerare velit, Epigrammatis vim (id, quod mihi videtur) in eo præcipuè consistere, ut vitia acutè & breviter cum dulcedine quadam perstringat, auribúsque delicatis nudæ veritatis impatientibus*

hoc modo, quasi sub condimento aliquo, ut in amarulentis pharmacis melle vel saccharo conditis fieri videmus, salubriter imponat, econtrà præclarè gesta oculis hominum in compendio ad imitationem proponat, & memoriæ commendet, omninò quidem fateri necesse erit, utilissimam operam reipublicæ locaturum illum, qui hunc finem fuerit assecutus: sed cùm nulla sit ætas, quæ suum genium proprium, suos mores, & sua vitia non habeat, ideò consequens etiam est, nullius Catuli, Galli, Getulici, Martialis, Oweni, aut alterius cujuscunq; præstantissimi Epigrammatistæ opera utut præclara & plena, adeò perfectè omni tempori convenientia esse posse, ut non juxtà illud, non convenit omnibus omne, *etiam posteris aliquid supersit, in quo calamum quis suum utiliter exerceat. Quod, an ego quoque in bis modicis pagellis pro parte aliqua præstiterim, vel fortè oleum & operam malè perdiderim, meum non est judicare; Tuum verò, benignissime Lector, humanitatem rigori in censendo præferre, & authori tui studiosissimo si non favere, saltem optimo animo exhibita non contemnere. Vale.*

EPI-

EPIGRAMMATA MISCELLANEA.

CENTURIA I.

1.

Ad Lectorem.

LEctor amice rogo, *tenuem* ne ſperne Libellum,
Sæpè vel in modicâ res nuce magna latet.

2.

Ad eundem.

Si mea fortè forent aliis metra conſona metris,
Me temerè furem dicere *Mome* cave.
Nam ſimilis creſcit flos ſæpè duobus in hortis,
Ingenium quoque par vatibus eſſe ſolet.

3.

Ad Zoilum.

Cùm benè nil facias, temerè tamen omnia carpis,
Quidquid agant alii, vel benè, ſive malè.

Epigrammata Miſcellanea.

Sic neque lucem atris cæcus diſtinquit ab umbris,
Sunt *bona cuncta bonis*, ſunt *mala cuncta malis*.

4.

Poëta annulum à Principe imperatum fruſtrà ſperat.

Infelix digitus *metiris* inania *metra*,
Annulus hic, replicas, grande minerval erit.
Sic DeaMuſa ſuum ſibi deſponſabit alumnũ,
Et dabit articulis lumina clara tuis.
O miſer! iſte meo eſtdigito non annulus aptus,
Majori manui convenit ille magis.

5.

Poëtæ incogniti, qui Romanæ aquilæ bonam fortunam auguratus eſt, ſequenti incomparabili cancrino verſu.

Se latè regnis, ira fatis, ingeret ales.

Encomium.

Quiſquis es ingenio felix, qui *carmine cancro*,
Romanis aquilis tam bonus augur eras.
Neſcio, quâ fueris fortunâ incognitus uſus,
Sed *ſimilis metro*, nolo ſit illa *tuo*

6.

Amico Doctorali Laureâ noviter insignito, nomine

Vers.

Res nova! perfectum vox continet unica versum,
Par modò junge pedum, distichon efficient.

7.

Mons Calvariæ.

Illustrissimo Domino de petra fellis Podagrico.

Hæc tibi cum myrrha *fel petra* propinat amarum,
Si fueris *patiens*, tum *petra mellis* erit.

8.

In tacitum affectatorem officii peregrinam linguam requirentis.

Externam subitò linguam se scire revelat,
Quâ solitus nobis non fuit antè loqui.
Est *Italus*, qui *Teuto* fuit, quia *teutone* lingua
Significare pudet, quòd *petat officium*.

9.

Cajus rationum subversor punitus innocens videri vult.

Non potuit validas rationes reddere Cajus,
Nullâ ergò queritur se *ratione* pati

10.

Novitas rarò bona.

Magna fuit quondã capitis reverentia cani,
Inque ſuo pretio dicta fuêre ſenum.
Sed modò cum ſenio jacet abſque valore vetuſtas,
Nec veterum ratio, conſiliúmve placet.
Sunt nova progenies, regimen, nova tempora, mores,
Omnia cùm *nova* ſint, ſunt *bona nulla nova.*

11.

Cur noſtro tempore ſervi præcedant fœminas?

Cur præit inverſo Dominas nunc ordine ſervus?
Hinc, quia nunc *ſequitur*, juráque ceſſit *herus.*

12.

Aliud.

Mancipium quia ſunt facti muliebre mariti,
Nunc *prior* eſt famulus jure, *ſiniſter* herus.

13.

Encomium Lauri.

Omnia nudat hyems Borealibus horrida flabris,
Fructibus atroces concitat illa minas.
Laurus ſola tegi refugit nive, ſola pruinæ
Perpetuo didicit ſpernere vere gelu.

Non

Non *aurum* juvenes, ſed doctam quærite *laurum*,
Æternùm hæc ornat tempora, non metuit.

14.

In Euclionem paupertatis hoſtem.

Pauper ubique jacet: malè res ea pungit avarum,
Sunt *oculis* miſeri ſpina, magis *loculis*.
Quô pactô, clamat, turbam removebo moleſtam?
Vis? ut eant *inopes*, ire ſinas *in opes*.

15.

Officium Judicis.

Judex juſtitiæ ſit fidus & integer *index*,
Ni faciat, *vindex* eſt gravis ipſe Deus.

16.

Judex avarus.

Officium debet judex impendere *gratis*,
Sed noſter judex *gratis* putat eſſe *Dativum*.

17.

Echo injuſtitiæ anagrammaticus.

Juſtus ni fueris, I. miſer, *uſtus* eris.

18.

Faſtus inanis.

Nummis credebam caligam turgere Thraſonis,

Quandò debebat ſolvere, *ventus erat.*

19.

Fortuna eſt figulus per echonem.

Ex *limo* figulus ſpurco vas nobile format,
Sordidus ex *imo* ſæpè reſurgit homo.

20.

In Momum particularem.

In ervalla mihi, quòd dicis, lucida, verum eſt,
Verum etiam eſt, quòd ſint *lucida nulla* tibi.

21.

Vates amico jocanti falſè ex tempore reſpondet

Non tibi, quod dicis, *calcar* nego vatibus eſſe,
Nam ſentis, *mulos* ut ſtimulare ſciunt?

22.

Momi nomen Epigrammatibus deeſt.

Nullum præ ſe noſtra ferunt Epigrammata nomen,
Nam ſatis eſt, quòd tu, quem tetigêre, ſcias.

23.

Horæ Poëtarum diſſimiles.

Non aperit ſemper ſua lucida flumina Pallas,
Nec quovis placidus ridet Apollo die.

Sic

Sic neque vena mihi pariter fluit omnibus horis,
Uberiùs modò, vel parciùs illa scatet.

24.

Vatis Officium.

Unâ conveniunt in voce *Propheta*, *Poëta*,
Falsa tamen *modò* vox hæc, *modò vera* canit.

25.

Aliud.

Nonnè *Poëta* simul benè dicitur esse *Prophe-ta*?
Posterior *vates* dicitur atque prior.
Carmina quin recitant ambo, sed dispare formâ,
Facta Poëta canit, *ficta* Poëta canit.
Pura futura decent, nec non *mera vera* prophetas,
Ni probet *e ventus*, carmina *ventus* erunt.

26.

In cruces Hyspanas, Gallo-Diabolicas.

Cùm fugiat styx atra crucem cane pejus & angue,
Nunc tamen *Hyspanas* cudit in orbe *cruces*.

27.

In anonymum præclarè gesta malis moribus corrumpentem

Cui meritæ quondā cecini præconia laudis,

Heu mihi! cur alium cogis habere ſtylum?
Cancrinos memini, ſolitum me pangere verſus,
Ultrò qui poſſent ire, citróque viam.
Mutâſti vitam *canerino more* reverſam,
Carmina non muto, *retro* ſed ire volo.

28.

Pacis pretium fatuis incognitum.

Pax aliis emitur pretiô deperdita carô,
Pax eadem fatuis ære venalis erat.
Nunc ubi conſumpſit *fluidum* Mars ferreus *aurum*,
Nec *pax*, nec *pretium*, quo redimatur, adeſt.

29.

Nova rarò bona.

Non bona, quæ nova ſunt; ſed nova, quæ bona ſunt.

30.

Tempus inæſtimabile.

O carum tempus fulvô pretioſius aurô,
Quantum *momentum* quæque *minutæ* tenent!

31.

Nihil in orbe ſtabile.

Dic, ubi ſint quondam ſeptem miracula mundi?

Tum

Tum *miracla* forent, ni peritura forent.

32.

Indocti rapiunt bonorum culmina.

Surgunt indocti, & rapiunt cælestia regna,
Vox Augustino prælule digna fuit.
Surgunt *indocti* & rapiuut *fastigia* mundi,
Est hodiè *doctis* digna querela *viris*.
Sed crepitans *tenuem* vox pulsat inaniter *auram*,
aurem non tangit, *longa* sit illa licèt.

33.

Jura favent fœminis, sed magis subindè Judices.

Nec sacra jura valent tantùm, nec Jura profana,
Quantum formosæ Cypridis ora, genæ.
Cum *Titia Titio* si coram judice lis est,
Causa valet *Titiæ*, sit bona, sive mala.
Formæ nec forus est *cæcus*, sed judicat *Argus*,
Tam teneri sexûs est, ait ille, favor:
Sic cùm *Justitiæ* foret absque favore litandum,
Sacrificat pulchræ Curia *jus Titiæ*.

34.

Injustum lucrum non fœneratur.

Justos mille vorat sestertius unus iniquus,

Partáq; ni *benè* ſint, ſunt *bona* nulla *bona*.

35.

Lex potatorum injuſta.

Contrà *fas* legem ſibimet poſuêre bibones,
Pomere quod leve *vas* debeat eſſe *nefas*.

36.

Rectum conſilium ſponſa fortitudinis.

Res ſacra *conſilium*, regit omne domíque, foríſque,
Hanc ratio *generat*, lingua ſoluta *parit*.
Intemerata fides lac, experientia *nutrix*,
Præceptor ſenium eſt, ſtrenua dextra *vir* eſt,
Sors *paranympha*, rei felix ſucceſſio *partus*,
Ne noceat *præceps* una *noverca* cave.

37.

Conſilii vis in ſilentio.

Ut ſit *conſilium*, *conſule*, deindè *ſile*.

38.

Ridiculus Conſul.

Arſerat Ucalegon, fuit unda petita per utres,
Ut vim *Muleiberis mulceat* iſte liquor.
Vaſa ſed hæc longo non uſu ſicca fuêre,
Multáque per tenues exiit unda vias.
Ergò ſuas operas conſul novus increpat, antè

Hæc

Hæc quòd *heri* non sint *vasa rigata salo.*

39.

In Consiliarium taciturnum.

Consiliarius es, nec is esse videris ineptè,
Si peto *consilium*, cum ratione *siles.*

40

Aliud.

Semi es *Bibliacus* consultor, nam tibi numquam
Est sermo *non non*, semper *ita* est, & *ita.*

41.

Injustitia.

Justitiam cæcam depinxerat æqua vetustas,
Ut neque personas, munera nec videat.
Moribus, arte nova, nostris est reddita lusca,
Cùm *jus* non videat, *munera* lusca videt.

42

Advocatus bonus.

Sta Juri, partique tuæ simus esto fidelis,
Et *Jurista* fores, tunc sine lite bonus.

43.

Advocatus bonus & malus.

Defendit miseros, pupillos protegit ardens,
Injustos reprimit, subvertit crimina mordens.

est ænigma.

44.

Ex Advocatis multi vocati, panci verò electi.

Vos *ad* Jura eſtis quia defendenda *vocati*,
Electos etiam convenit eſſe *viros*.

45.

Indoctus Prætor.

Pollio fit prætor, licèt indoctiſſimus eſſet,
Ingenio modico, maximus *in genio*
Quis putet? *officium* tamen idem Pollio *præſtat*,
Iudicio multis *officit* ille ſuo.

46.

Respublica à multis malè adminiſtratur.

Publica res multis, paucis *respublica* curæ eſt,
Publica nempè putant omnibus eſſe *bona*.

47.

Magni Principes ſunt amici privatim, & hoſtes publici.

Bella cruenta gerunt, dant millia plurima *letho*,
Intereà *læti* ſunt ſine felle domi.

48.

In pacificatorem anonymum.

Utile dux voluit præferre o - o honeſto,
Cum gallo fœdus dum ſpeciale facit.
Nam quid, ait, *certare* juvat? res lubrica bellum,
Certa re præſtat pacis inire modum.
Sic *in certa* volat, ne res *incerta* maneret,

Pa-

Pacis non *belli* ſe probat eſſe *Ducem.*

49

Rex gallus pacem emit.

Aurea nunc redeunt pretioſæ *tempora* pacis,
Nam *pacem auro* Rex â Duce gallus emit.

50.

Mors immatura Principis in cæcam mortem.

Parcis avo, tenerúmque rapis mors cæca Nepotem,
Nonnè fuiſſet avus jure nepote prior?

51.

Mortis Reſponſum.

Quiſquis es! ò *cæcam* me dicere deſine *mortem*,
Si *viviſſet* avus, *viveret* ipſe Nepos.

52.

Pax ſimulata.

Pax tua *pace* caret, nova dans incendia belli,
Sic *pix*, & non *pax*, ignea *fáx*que fuit.

53.

Teſtamentarii regni inconſtantia.

Omne *novum Teſtamentum* ſi ſemper & eſſet
Sacrum Evangelium, Rex ſine lite fores.

§2.

Ex novis gallicis.

Dux octogenarius puellam quindecim annorum ducit.

Dum ſibi vir teneram capularis ſponſat amatam,
Uxorem ducit bis puer ipſe parem.
Ne tamen invalidet dubioſa potentia pactū,
Noſter id *omnipotens Rex* facit eſſe *ratum*.

§5.

Rex impuriſſimus Sardanapulus titulum Patris patriæ, non virtute ſed libidine quærit.

Virgo ſit aut conjunx, Rex noſter diligit omnes,
Hac *Patriæ* fieri vult ratione *pater*.

§6.

In Fridericum Palatinum Rebellem.

Pax erat, & bellū ſuſcepit ſponte rebellis,
Inque *ſuum* traxit ſic fera bella *locum*.

§7.

Dux N. ſe ſuáque hoſtibus Imperii tradit.

Cur hoſti temerè vendis tua, téque, Tuóſque?
Nam modò *nil*, factâ venditione *vales*.

§8. *Aliud.*

Non ſe, ſed *Dominum* maiè vendit avarus Jüdas, Hic

Hic *Dominum*, cùm ſe tam malè vendit, emit.

59.

Etiam debilis hoſtis non eſt contemnendus.

Eſt ſua vis etiam minimis, cave, parva laceſſas,
Scis? quòd apes, uti *mel*, ſic & *acumen* habent.

60.

Horologium.

Aſpice, quàm properet ſapienti hæc machina curſu,
Sunt tamen ex plumbo, quos habet illa pedes.
Imò quò premitur majori pondere, tanto
Inceptum citiùs deproperabit iter.
Quamvis cæca, tamen Phæbum comitatur euntem,
Fidáque ſolarem prodit in axe viam.
Inſuper illa ſui fit docta *Magiſtra magiſtri*,
Ad *momenta* monet cuncta, *memento mori*.

61.

Hora una erit ultima.

Omnibus ex horis *feret* una *feralè feretrum*,
Ergo te *vigilem* quælibet eſſe monet.

62.

Pſeudo-amicus

Nil niſi *mel* loqueris, *fel* corde recondis amarum,
Sic *fucos* animo *paſcis*, in ore *favos*.

63.

Amicus verus.

Verſu cancrino.

Sunt tua, quæ mea ſunt, ſunt mea, quæ tua ſunt.

64.

Amico abeunti.

Tale vale dico, cùm forté recedit, *amico*,
Vive *recordare*: hoc pignus amicitiæ eſt, re cor dare.

65.

Præſtat eſſe inimicum apertum, quàm amicum ſimulatum.

Hoſtis és occultus, licèt ore videris amicus,
Nec bona ſit *facies*, ſi benè non *facies*.

66.

Creatio politica.

Primus homo fuit ex limo ſine matre creatus,
Et *Pater omnipotens* ipſe creator erat.
Nunc facilis res eſt, de *ſtercore magna* creare,

Ex

Ex *imo* Statius surgit ad alta *fimo*.

67.

Parasitus.

Non *invitatus* consuêsti accedere mensas,
Invitus semper sed parasite redis.

68.

Testimonium infantis.

Legitimè non est, quòd erat gravis Anna, probatum,
Infans testis erat, sed neque *legitimus*.

69.

Idem.

Dicitur Anna gravis, negat hoc, & pernegat illa,
Testibus est mihi res ista probanda, refert.
Ergo testis ei *parvus* producitur *infans*,
Legitimus testis non, ea clamat, hic est.

70.

In Susurronem invidum.

Nescio, quid tacitè tua lingua susurret in aurem,
Hoc scio, non audes invide clara loqui.

71.

In eundem.

Quamvis tam tacitè tua lingua susurret in aurem,
Sat tamen audiris, nempè *susurro* quòd es.

72. *Oc-*

72.

Oculi sunt in amore Duces.

Esse Duces *oculos* Veneris, notoria res est,
Ergo patet, quòd habet lumina *Cæcus amor.*

73.

Amor cæcus est.

Sunt in amore Duces oculi, rapiúntque sequentem,
Ergo *amor* est *cecus*, nam *Ducæ cæcus* eget.

74.

Idem.

Heu *Ducibus* ne fide *oculis* in amore *malis*,
Ne miser in foveam præcipiteris *amans*.

75.

Alchimistarum ludibrium.

Aurum spondetis, sed inanem venditis *auram*,
Arcanum vanũ est, *ars* gravis, *arca* levis.

76.

Hircocervus.

Dic, quid sit melius. cervúmne ferire, vel hircum,
Tutiùs est hircum, tutum magis *Hircocervum*.

id est nihil.

77. *Vis*

77.

Vis & ovis.

O Vis, quàm simul est *par* tibi & *impar ovis.*

78

Astrolabium.

Quis satis ingenium stupeat, dextrámque magisti ri?
Qui *parvo magnum condidit orbe polum.*

79.

In Cabalistam superstitiosè in fata sua inquirentem.

Quid tua *fata* ferant, avidè cognoscere quæris,
Ni cesses, *fatum* te faciet *fatuum.*

80.

Orator est arator.

Orator jactat sua semina, sicut *arator*,
Seminat ille quidē *verba*, sed *acta* metit.

81.

In hæreticum calumniosa scommata in Romanum Pontificem vomentem.

Improba lingua vocat Papatum stercus; *amaro*,
Sic ego *dente*, inquit, *mordeo Pontificem.*

82.

Arij impii Hæresiarchæ sordida mors.

Arius infelix animam cum stercore reddit,

Sci-

Scilicet *impurus ſpiritus* ille fuit.

83.

Optima vindicta & maledictorum refutatio.

Inſons argueris? benè factis verba *refelle*,
Tunc reprimes hoſtem, *re*, ſine *felle* tuum.

84.

Ragozius reus criminis læſæ Majeſtatis nocte ex carcere fugit.

Dicta dies nuper fuerat *funeſta* rebelli,
Sed fugiens *nocte* prævenit ille *diem*.

85.

Jurium Doctori equum alenti.

Nutrit *equum* Doctor, quo non eget, abſonares eſt,
Æquum ſi curet, convenienter agat.

86.

Medicus.

Priſtina non curat, quamvis pretioſa *recepta*,
Semper amat *præſens*, atque novum *recipe*.

87.

Ex carnifice fit Medicus.

Hos necat, ut Medicus, lictor quibus ante pepercit,
Nunc ex *arte* facit, tunc rudis arte fuit.

88. *Hu-*

88.

Homo humaniter tractandus.

Sum *famulus*, sed non natus sum ad ponde-
ra *mulus*,
Infer *onus*, quantum fert homo, non
quod *onos*.

89.

Homo vorax podagricus.

Dentibus, ore, labris, linguâ, manibúsque
laboras,
Cur ergo cruciat dura *podagra* pedes?

90.

Preces mundanæ sæpè immundæ.

Est *pretium precibus*, si sit formosa *precatrix*,
Quamvis *peccatrix* sæpè sit illa gravis.

91.

Lupa juveni.

Res levis est, inquit, nec portant oscula
damnum. *Iuvenis lupæ*.
At res non *levis* est, tu *sed es ipsa levis*.

92.

Bibulus bibulam ducit.

Cajus homo madidus simili sociatur amatæ,
ne sua nempè *salus* sit sinè *proficiat*.

93.

In amore, in dolore.

Ehe! Wehe.

Multa trahunt post se sociales *tædia tædæ*,

Ra-

Rarus & est, qnalis non sit *amarus amor.*

94.

Vir & uxor mœchi.

Quàm benè conveniunt par nobile *sponsus*
& *uxor*,
Uno in prostibulo nuper utérque fuit.

95.

Judicium Salamonis.

Falsa parens voluit, findatur ut ense puellus,
Quod fieri genitrix indubitata vetat.
Maluit hæc salvum, quàm cæsum perdere natum,
Ut vivat soboles, non cupit esse, quod est.
Parce, ait, ò lictor! me me priùs ense secato,
Me jugula, vitam dum ferat ipse puer.
Nec mora! vult falsæ genitrici cedere natum,
Sed matrem sé, cùm non cupit esse, probat.
Ergo Rex matris *pietati* jura rependit,
Quæ pia non fuerit, nam neq; *mater* erit.

96.

Ejusdem ultimum elogium ad filium Roboam insipientem.

Rex sapiens fui! opes peperit sapientia grandes,
Sed partas stolidus dilapidavit amor.

Gloria, divitiæ, ſapientia, ſceptra fuêre!
Vita fugit; ſupereſt nil mihi quàm
tu-mulus.

97.

Pecuniæ etiam ineptos promovent.

Si vis per *ſaltum* citò ſcandere lætus in *al-*
tum,
Non parcas *nummis*, ſic æquas infima
ſummis.

98.

Pecunia potens.

Omnia perficiet *nummus*, ſi ſit *numeroſus*,
Tunc eris in *numero* ſi *numerare* potes.

99.

Pecunia ſupplet ingenium.

Unum cuncta poteſt ſupplere *talenta talen-*
tum,
Qui ſine *divitiis* eſt, ſcatet hic *vitiis*.

100.

Aurum avari idolum.

Cur mundo nihil eſt fulvô pretioſius *auro*?
Tam benè conveniens nullum eſt quia
nomen *avaro.*

CEN-

CENTURIA SECUNDA.

1.
In Zoilum.

CUr ea, quæ facio, non ſint, meliora, redarguis,
Hoc non eſt *mala*, ſed carpere Mome *bona*.

2.
Ad Lectorem.

Diſſimula, ſi te forſan mea carmina pungunt,
Si ſtrepitum facias, proditor ipſe tui es.

3.
Agathocles ex figulo fit Rex.
per Echonem.

Rex novus ex *limo* figulus cùm ſurgeret *imo*,
Tunc novus eſt ab *humo* porrò creatus *homo*.

4.
Idiota non æſtimat Poëſin

In nullo pretio tibi dicitur eſſe *Poëſis*,

Sci-

Scilicet *ingenio* est merx *peregrina tuo.*

5

Poëtæ infulati Encomium.

Clare Poëta, cüi fluitant ex tempore versus,
Laurum portares, ni sacra *mitra* foret.

6.

Poëta bonus, sed alios superbè despiciens.

Es bonus, atque bonum te scis faber esse Poëtam,
Nempè tibi, nisi tu, nemo Poëta placet.
Grande Sophos tibi vis passim clametur ut uni,
Nec vatem, nisi te tempora nostra ferant.
Crede mihi, melior fabro faber ipse fuisset,
Si melior reliquis non sibi visus erat.

7.

Novi anni gratulatio.

Exacto veteri cursu novus incipit annus,
Quid tibi, quid Bertæ gratulor ergo tuæ?
Nulla rogare placet *nova*, sed precor omnia *prisca*,
Tu volo sis *canus*, Bertáque fiat *anus.*

8. *Aliud*

Votũ proXenio novus imperat edere *Janus*,
Hinc volo tu *canus*, Bertáque fiat *anus.*

9.

Christiani Principes propter interesse discordes sunt.

Principib⁹ nostris nunquam fore, credo, *cor unum*,

Si plures audent, *unam* ſperare *coronam.*

10.

Rex inimicus Provincias alienas inimicis promittit.

Regem venturi ſæcli o o - o probas te,
Cùm bona, quæ nondũ ſunt tua, *diſtribuis.*

11.

Gallus Gallinaceus vetus Baſiliſcum generat.

Parturiens gallus fœtentibus incubat *ovis*,
Fœtus ei monſtrum, quod? Baſiliſcus erit.
Quiſquis es, ò ſtudeas *avibus melioribꝰ* uti,
Dilectæque Jovi femina præfer *avis.*

12.

Promiſſio vana.

Promittit, ſed nulla facit miranda Lutherus,
Tam *modicæ fidei* ſcilicet ille fuit.

13.

Gallia tandem ſociatorum gravia arma ſentit.

Iam *luſum Ludovice* ſatis, nunc ſeria res eſt,
Cùm *ludi vice* te ſeria bella premunt.

14

Sereniſſimi Principis, & glorioſi belli Ducis Eugenii valor, utpotè contrà quem Gallia plures belli Duces mittit.

Quanta ſit *Eugenii virtus*, Ludovice revelas,
Dum facis hunc *Ducibus pluribus* ipſe *parem.*

15. *Idem*

15.

Idem Ducem Exercitus gallici Cremonæ capit.

Dux gallus mediâ rapitur captivus in urbe,
Concubiæ noctis dum sopor altus habet,
Præsidium nil *præsidio*, nihil arma fuêre,
Nil fossæ, sæpes, mænia, valla, viri.
Sic capit *Eugenius* gallô vigilantior hostem;
Sic *aquilæ gallos* nunc *vigilare* docent.

16.

Idem Cremonam modestus non exurit.

Si nuper flammis exusta *Cremona* fuisset,
Nulla *Cremona* foret, vera *Cremona* foret.

17.

Mantuæ fiducia vana.

Est in *aquis* tua spes, quia te circũfluit *unda*,
Sed cave, serò *oculi* ne tibi sint in *aquis*.

18.

Ad eandem admonitio.

Mantua tolle *manus*, releva prece Cæsaris iram,
Sic servare *manu* te potes ipsa *tuâ*.

19.

Eadem falso nuntio victoriæ obtentæ contrà Cæsareos accepto, Te Deum Laudamus cani imperat.

Mantua lætitiam cohibe, tua gaudia siste,
Nam tibi charta levis nuntia falsa tulit.

Nuntius alter adeſt, nec fert ſimulata relator,
Dux gallus ✠ teſtis noſtra trophæa probat. ✠ Villeroy captus.

20

Epitaphium Principis de Sangaro Neapolitani propter fidelitatem Sereniſſimæ Archidomui Auſtriacæ illibatè ſervatam innocenter occiſi.

Sta Viator.

Nobilis urna tenet ſine vertice *nobile* corpus,
Cûi *capitale* fuit, non temerâſſe fidem.
Catholicus renui, vel *Chriſtiâniſſimus* eſſe,
Quamvis *Chriſtiânus*, catholicúſque fui.
Martyrio palmā tribuas mihi jure ſecundā,
Nam *virtus* mortis cauſa fidéſque fuit.

21.

Epitaphium Cæſaris Octaviani Auguſti Carmine Leonino.

Sta Viator.

H i Au c ſt t hon
ic acet guſtus, umulus at - alis oris
D pl an t f - od
S r gr r m ſ f hu
it ex ex apiet ors ua inis m
f n l c ſ t c h

S

Sic legatur.

Siste Gradum.

Hîc jacet Auguſtus› cumulus ſtat talis honoris ,
Dic placet anguſtus tumulus fatalis odoris ?
Sit rex, grex, rapiet mors ſua, finis *humo*,
Fit lex nex, capiet, ſors tua ✝ cinis *homo*.

✝ NB. Licentia producendi primam *cineris*.

22.

Virtus invidiam patitur.

Egregiis ſua ſæpè viris quoque noxia laus eſt ,
Invidus, *invitus* facta decora *videt* !

23.

Invidia.

Non videt, ut res ſunt , majora ſed omnia veris
Invidus eſſe putat : non *videt* ergò benè.

24

Maledicentia virtuti fruſtrà obtre-ſtat.

Nil alios curo, malè de me quandò loquuntur ,
Non *maledicta nocent*, ni *malefacta docent*.

25.

In avarum.

Non accuſaris, recipis quia multa libenter,
Sed dare quòd nihil, aut pauca libenter amas.

26.

Aliud.

Avarus nunquam habet ſatis.

Omnia tempus habent, auri niſi ſola cupido,
Nam quò plura *capis*, ſordide, plura *cupis*.

27.

Prodigalitatis effectus paupertas.

Prandia lauta ſibi qui curant ſæpè parari,
Oppiperam cœnam ſumere rarò ſolent.

28.

Prodigo fruſtra dantur ſubſidia.

Prodigium foret, ut propriis malè *prodigus* uſus,
Alterius fiat dives ab *auxiliis*.

29.

Juventutem plerúmque liberalem ætas major & divitiæ parcam efficiunt.

Muſarum vacuus cùm cerneret *Irus* alumnum,
Dives hic eſt *Dominus*, plus ait, ergo dabit.
O miſer! errâſti cum riſu ſubiicit alter,

Di-

Dives ego *Dominus* tunc ero, si *do mi-*
nus.

NB. Licentia corripiendi *do.*

30.

Omnia sunt venalia avaris.

Publica sufficiunt hoc tempore *munera*
paucis,
Privatim passim, *munera* nam capiunt.

31.

Liberalitas virtus, medium inter avaritiam
& prodigalitatem tenet.

Non te *profusum*, non te decet esse *tenacem*,
Sol sis, nam *trahit* is, sed quoque *reddit*
aquam.

32.

Divitis & prodigi disparitas.

Esset *prodigium*, si dives *prodigus* esset,
Nam *dare* nil *dives*, *prodigus* omne solet.

33.

In garrulitate mendacium.

Frons, oculi, vultus mentiri sæpè feruntur,
Sæpius hoc hominis garrula lingua facit.

34.

Stultus ebrii fastus.

Despicis omne, quod est *extra* te, quando
bibisti,
Extra te sed tunc *ipsemet* esse soles.

35.

Pamphilus ſervus exauctoratus ſe Baronem fingit.

Baronem poſt hæc te dicere Pamphile noli,
Pauperibus ſatis eſt, quòd videare *comes*.

36.

Secreta *medicina aulica.*

Aulæ *ſecretum* eſt, ſecreta quod omnia pandit,
Accipe florem uvæ, potio fiat, habes.

37.

Law artis impreſſoriæ.

Quis *calamo* laudem latis exprimat iſtius artis?
Millenos calamos quæ ſuperare ſolet.

38.

Tonſor apud avarum hoſpitem divertens malè tondetur.

Hoſpes *tonſorem* recipit, *tonſúmque* remittit.

39.

Aſtrologia artifici non ſatisfacit.

Decipit artificem deluſum ars conſcia cæli,
Eminus objectum monſtrat, *habere negat*.

40.

Amicus amico. Ænigma.

Quod das ſponte hoſti, concede rogatus amico,

Sic

Sic tibi me ſtabili jungis amicitiâ
ſolutio: *meminiſſe velis.*

41.

Eidem. etiam per ænigma.

Non mea, quam teneo, ſed res tua propria jure eſt,
Sic quoque, quod retines, eſt mea, non tua res.
Si ſed ego tibi, túque mihi rem reddimus ambo,
Nec mea, nec tua res ſtat, nec ego, neque tu.
ſolutio: corda amicorum.

42.

Vinum juventutis venenum.

O juvenes *vinum* vobis reputate *venenum*,
Nam *flammas* meliùs *frigida* vincit *aqua*.

43.

In vino eſt luxuria.

In *vino venus* eſt, ſed habet *venus* ipſa *venenum*,
Ergo quis quis amat *vina*, *venena* cave.

44.

Oweni præclariſſimi Poëtæ macula.

Vena tibi *facilis* fuerat ſubtilis *Ovene*,
Da *veniam*, nimium ſed fuit illa *levis*.

45.

Regnum in ſe diviſum peribit; In Tribunali um à ſe independentiam *ab invicem.*
Pleraque cùm modò ſint *independentia*, mirum eſt,
Ni *reſoluta* ſtrues denique tota ruat.

46

Domini ne ſubditos gravent.
Qui nimium faciunt ſubjectum onerare tributis,
Quo veherentur, equum pondere ſponte necant.

47.

Breve, nempè hyemale regnum Friderici Electoris Palatini.
Perdere te citiùs dicunt, quàm acquirere regnum,
Rex ita *fis*, non ut *ſis*, ſed ut *eſſe ſinas.*

48.

Pſeudo-amicus ſolatur verbis, nihil præſtat.

Nil præſtas, benè velle tamen mihi ſæpiùs inquis,
Sic cupis, ut venerer munere *velle tuum.*
Agnoſco tam promptum animum, quod debeo, reddo,
Quæ *cupis*, illa *volo* mittere dona, *ſat eſt.*

49. Po-

49.

Podagra virile malum.

Multa podagra viros, mulieres rara fatigat,
Molle genus nequiit ferre *virile malum*.

50

Cur podagra pedes incommodet?

In *cerebro* posuit meritò *sapientia* sedem,
Nam *Jovis* ex cerebro nata *Minerva* fuit.
Ex *pedibus Bacchi* sic nata podagra videtur,
Nam pro *sede* sibi vendicat illa *pedes*.

51.

Gratulatio insulato seni ad diem electionis renovatæ facta.

O lux candenti meritò signanda lapillo,
Candida lux tenebras non habitura suas.
Quæ nobis charam revocas in mente figuram
Lucis, quâ primò tradita Mitra tibi est.
Iam complevisti viginti quatuor orbes,
Tempus id omne dies unica visa fuit.
Scilicet *annus* erat nobis non longior *horâ*,
Ergo *annos* comple, multiplicáque dies.

52.

Eidem modestè gratias agenti.

Est mihi *longus*, ais, nimis iste *Platonicus annus*,
Sufficeret, brevior si mihi meta foret.
Sit: dabo, non *annus* tibi meta, sed *annulus* esto,

Annulus eſt brevior : *fine ſed ille caret.*

53.

Peregrina malè amplectimur.

Cur ſacra more placent patrio peregrina relicto ?
Cur geſtus, veſtes, ſermo, loquela, fides ?
Antiquata putant, *atavis* quæ *recta* fuêre,
Sed malè, nam *bona* non eſt *aliena fides.*
alluditur ad regulam juridicam, quòd cum mala fide non præſcribatur.

54.

Peregrini mores fugiendi.

Echonicum.

Diligis, ò fili ! vanum & mendacia quæris,
Quod tua terra *tibi* dat, malè quæris *ibi.*

55.

Papyracea gallorum pecunia Anglorum prædæ cedit.

Dic, quanti valeat, tua, pauper galle, papyrus ?
Grandia promittit, ſed leve pondus habet.
Non leve pignus, ais, ſtatuit, quia ſpondet opimas
Gangis divitias, quæ grave pondus habent.
Hæ poterunt vacuas aur oreplere crumenas,
Unde domi fiat, militiæque ſatis.

In portu ratis eſt: ſed Gallia falleris, *Anglus*
Pignus habet, Gallo *littera ſcripta manet.*

Vel

Iam ratis in portu eſt: ſed ſpes tua Gallia fallit,
Anglia pignus habet: quid tibi? *charta manet.*

56.

Gallia pauper.

Dives eras quondam *picti vestis & auri,*
Nunc *auri ſcripti* dives es, *æris inops.*

50.

Melac, ſive Melacus incendiarius moritur.

Nil habeo de *melle*, nihil de *lacte*, ſed eheu!
Nunc Phlegetontiacus *me lacus* ater habet.

58

Sereniſſimus Princeps Eugenius Turcas in Hungaria triumphat.

Anagrammaticon.

Euge ſinu.

Euge ſinu Princeps, tua virtus ſidera tangit,
Nam forti *lunam* deiicis *axe* manu.

59.

Invidia proprietas Canina eſt.

Cùm Lunam renitere vides, *canis invide* latras,

Scilicet eſt oculis *lux inimica* tuis.

60

Virtuti fruſtra invidetur.

Anagrammaticon.

invideant, ni videant.

Invideant alii, & de me quæcúnque loquantur,
Ni videant aliquid, quo *maledicta* probent.

61.

Cain invidorum Pater.

Quàm *canibus* ſimilis fit fratricida *Cainus*?
Litterulam ſolam junge, *Caninus* erit.

62

Quantitas theſauri Poëtica & vulgaris.

Tyro corripuit *theſauri* in carmine *primam*,
Cui, fur, & malus es prædo, magiſter ait.
Parce, puer replicat, furem vocitare magiſter,
An non *theſaurum* tu quoque *corriperes*?

63.

Mendici potentes.

Quiſquis alit multos, hunc dicunt eſſe *potentem*,
Pauper es ergo *potens*, millia ſolus alis.

64.

Cauſa difficilis pauperis debitoris.

Quæſtio *difficilis* fuit orta *ſolubilitatis*,

Nam

Nam non *ſolvendo* debitor Jrus erat.

65.

Cur pauperum liberi non rarò formoſi.

Cur ſoleant inopum formâ præſtare puelli,
à *Domino noſtro* eſt forma ea, Mater ait.

66.

Nobilitatis origo.

Sunt duo, quæ faciunt, ut quis ſit nobilis,
ars, Mars,
Tertia nunc aſinis eſt via, quæ ? per opes.

67.

Superbia Vitellij novi ex bubulco nobilis.

Quod venit à *vaccis*, non eſt hoc nobile ſtemma,
Sed *vitulum* potiùs, vel probat *eſſe bovem.*

68.

Ruſtici ebrii votum inconſideratum.

Ruſticus in foveam cadit ebrius : illico clamat,
Me pia ſervatum ſubtrahe luna ſcrobi.
Cerea lucebit tibi moles grandis ad aras,
Quercu non levior, ſi pia luna juves.
Dixit, & en querulas vetulæ fert conjugis iras,
Quæ comes excepit triſtia verba viri.
Furcifer, exclamat, pereas, mors reddat ina-

Vo-

ne

Votum, ne pereat bos, ego, vacca, domus.
Audiit hæc, oculóſque rotans Melibæus o-
pacos,
Ad vetulam timidâ voce locutus anum
eſt.
O mea! parcius indignare viro, pia luna
Me modò ſervet, erunt irrita vota, ſile.
Impie! vota tenent, *facis ebrius, ebrius im-*
ple,
Tunc referet *magnam* cera puſilla *trabem*.

Ein modi Räuſchl.

69.

Præſente vino nauſeatur aqua.

Cur non tangis aquam? prohibet reveren-
tia vini,
Numina, quod non vult inferioracoli.

70.

Epitaphium Bacchanaliorum.

Quiſquis ſtultitiam ſpectâſti temporis acti,
Siſte gradum, & pauca hæc verba viator
habe.
Hîc jacet exanimis, funus lacrymabile Bac-
chi,
Cujus in hoc tumulo mortua larva latet.
Alea cum talis, ſparſæ nullo ordine chartæ,
Cum thyrſo cyathi, pocula, vitra, ſcyphi.
Triſtia nunc, ſed chara olim ſine carnibus
oſſa
Herbæ Braſilicæ fruſtula, cera, tubi.

Prô!

Prô ! dolor, in cyathis *magnum* teperitur *inane*,
Et nihil eſt, ubi tunc candida ſpuma ſtetit.
Stultitiam totā præſens hæc continet urna,
Quâ *cinerum cineres* condidit una *dies*.
Nunc triſtes ſubeunt jejuni temporis horæ,
Et cum *carne vale* Muſica muta capit.
Hoc madidi luget cognatio ſtulta Lyæi
Hinc velo *larvas* occuluêre ſuas.
Tu tumulo vini guttas inſperge viator,
Atque precare, brevi *ſurgat* ut ipſa *caro*.

Auferſtehung deß Oeſterlichen Fleiſcheſſens.

71.

Hilarius Bacchanaliorum tempore promotus, Momo id ei exprobranti ſalsè reſpondet.

Me *perſonatum* donari munere rides,
Juvit *perſonam* tunc tenuiſſe tuam.

72.

Cereviſia.

Echonicum.

I *citò* da *Zythum* caupo, ſed parciùs *undam*,
Portio *munda* mihi, non tamen *unda* placet.

73.

Ebrius flumine merſus perit.

Mergitur in rapidis, quò decidit ebrius undis,

Is modò non *biberet*, si antè bibisset *aquâ*.

74.

In Logicum bibulum.

Si foret objectum Logices *potabile Zythum*,
Tu *citò* tunc istâ primus in arte fores.

75.

Pollio Lurco.

Æternum studet, ut faciat sibi Pollio *nomen*,
Quomodò? *cauponis* scilicet in *tabulis*.

76.

Idem amiculi glandes vendit, ut gulæ sacrificet: allusum ad ejusdem nasum rutilum & nodosum.

Omnia lurco voras, nec *nodulus* extat amicto,
Hinc tibi de *naso* nunc resilire solent.

77.

Inabsurdam eorum sententiam, qui objectum Logices in Ente rationis chymerico statuunt.

Objectum Logices statuunt *rationis in ente*,
Sed quid *subjectum* si *ratione* caret?

78.

In Nodillum nomine & moribus incultum.

Te similem florere *rosæ* cum tempore speras;

Non

Non nego : *nodosum* nam satis esse, patet.

79.

Patientia omnia vincit.

Ne credas odium vinci violenter *agendo*,
Vincere, si *patiens sis*, *patiendo* potes.

80

Gloria est stimulus virtutis.

Discite, non levis est virtutis gloria suada,
Gloria sidereis continuanda choris.

81.

In Contradictorem pertinacissimum.

Obloqueris semper, falsique redarguis ; imò
Quæ primum meditor dicere, falsa vocas
Nunc iterùm quædam refero ; falsissima clamas
Esse, tace ; at cogor dicere, *vir bonus es*.

82.

Aliud.

Semper ubique soles mea dicta refellere, *laudo*
Te *tamen*, ut quondam cum *ratione* neges.

83.

Roma nova major antiquâ.

Nunc es in orbe caput *nova Roma*, nec antè fuisti,
Imperiúmque modò tu *sine fine* tenes.

Nam

Natus data non ſolùm *Petro* eſt ſine fine po-
teſtas,
Jus etjam *toto* dicit *in orbe Petrus.*

84.

Ad gentilitia arma Summi Pontificis neo electi

Cùm populo verſas ſanctus Pater exhibet *ollas*,
Omnia dat nobis, nil ſibi ſervat opum.
Theſauros reſerat ſacros, aperítque profanos,
Quod ſupereſt, aper ît cor, animámque dabit.
Quod malè de Clero, quàm verum in Principe Cleri eſt
Fundo deſitui: quid tenet olla? nihil.

85.

Paſtor avarus oves pauperes negligit.

Ergo Paſtor ovem non curas abſq; lucello?
Sic *lanam*, ſed non improbe quæris *ovem.*

86.

Luxus veſtium atavis incognitus magis paupertatis, quàm divitiarum ſignum eſt

Aurô qui veſtes ornat: reputabo *forenſem*,
Intus enim rarò *dives is* eſſe ſolet.

87. *In*

87

In modorum gallicanorum ridiculam vanitatem.

Eſſe modum in rebus, veteres dixêrePoëtæ,
Sed *modò* ſunt noſtro tempore *mille modi.*

88.

Adolphus viduus ridiculus ama-tor.

Lucida vitra ſibi fieri curavit Adolphus,
Ut nitidum clarâ luce cubile foret.
Sic ego, compos, ait, fieri volo divite ſponsâ,
Nam mihi ſponſa manus ducta nitore dabit.
Sed vitra clara nihil valuêre, niténſve cubile,
Cùm fuerit viduus, ſpretus Adolphus erat.
Et juvenis juvenem ſociat ſibi ſponſa maritum,
Conſilio veteri *nubere docta* pari.
Nunc vitra frange miſer, nitidáſque expelle feneſtras,
Vitrea ſpes cecidit, *vitricus* alter erat.

89.

Juvenis puella ſeni viduo invita nube-re cogitur.

Cûi roſeis lux alma genis reſplenduit antè,
Cuíque ſerena dies ſemper in ore fuit,
Quæ nunc mæſtittæ ſtant illi fronte decora?
Purpureus niveo cur fugit ore color?

Bel-

Bella puella tuam patiens solabere sortem,
Ne sis *Mater*, eris *filia*, *sponsa*, *soror*.

90

Camillus ridiculus senex canos capillos pingit, ut videatur juvenis.

Canos obfuscas nigricante colore capillos,
Sic senium speras posse latere tuum.
Falleris, inverso res indiget ordine, *vertex*
Non eget unguentis : *unge* Camille *pedes*.

91. *Idem.*

Albe senex albos pingis nigredine crines,
Siccine vis senium dissimulare tuum ?
I, pedibus celerem properans imitare juventam,
Sic fies, quod jam diceris esse, *puer*.

92.

Vitia linguæ.

Nec volo te *mutũ*, nec te nimis esse *loquacẽ*,
Res *mala nulla*, sed est *pessima lingua duplex*.

93.

Abusus nocturni luminis.

Ut possit dormire, petit Lucretia lumen,
Cùm tamen hoc *ad opus* sat sine *luce* videt.

94

Abusus pulveris odorati.

Nulla solet nostro res tempore *crebrior* esse,
Pulvere quàm nares sæpè replere suas.

Hic

Hic capit, ille capit, rurſúſque iterúmque capeſſunt,
Nobilis, & vilis, fæmina, vírque capit.
Sic malè dicuntur muccô evacuare *cerebrum*,
Nam *cerebrô*, *crebrò* qui capit, ille *caret*.

95.

Fallax mundus capillamentis aſcititiis gaudet.

Quòd falſós paſſim mos eſt aptare capillós,
Res *fundamentô* nititur iſta *ſuô*.

96.

Caupo contradictoria verificat.

Caupo probat, *duo vera* dari *contraria* vitro,
Scilicet *eſſe merum*, *nec* tamen *eſſe merum*.

97.

Idem.

Caupo verificat contra*dictoria*, vitro
Scilicet *eſſe merum*, *nec* tamen *eſſe merum*.

98.

Ejuſdem Juramentum.

Utor menſurâ juſtâ, *ſit diluo teſtis*,
Et *Thetis* in mea, ſi ſint mala, vina ruat.

99.

Idem.

Utor menſurâ juſtâ, mera mixtáque *non do*,
Si ſecus eſt, vinum puniat alma *Thetis*.

100. *Qua-*

100

Quales Parentes, tales liberi.

Si Pater arma gerit, natus quoque diligit arma,
Matris lanificæ *filia fi'a* trahit.
A bove majori ſic diſcit arare juvencus,
Sic natis *virtus* eſt, vitiúmque Patrum.

CENTURIA TERTIA.

1.

Ad Zoilum,

OMnia cùm *rodas*, & ad omnia Zoile *latres*,
Res nova ſit, metris parcere dente meis.
Ergo docebo fugam celeri dare carmina curſu,
Ne retrò fortè *latrans mordeat* illa *canis*.

2.

Celſiſſimo ac Reverendiſſimo S. R. Imperij Principi ac Domino Domino

JOANNI ERNESTO

Ex Comitibus de Thun &c. Archiepiſcopo Salisburgenſi &c.

Annagrammaticon.

Programma

Joannes Erneſtus.

Anagramma.

Neſtórve annis es.

Er-

Ernestus, Nestórve annis es magne *Ioannes,*
Hoc propriiPrinceps *nominis omen* habe.

3.

Eidem.

Virtus in medio consistit.

Mite *Ioannis* habes nomen simul atque *se-*
veri,
Sic *medium* Princeps inter utrúmque
tenes.

4.

Iris per Echonem.

Miris picta nites in nube coloribus *Iris,*
Ros es, sed fis *flos, Sol* facit esse *rosam.*

5.

Dij laboribus scientias vendunt.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Nec tibi per ventos assa columba venit.

6.

Censura justa obscæni Poëtæ.

Censuræ tua metra meæ quia subiicis ultrò,
Obsequor, *Illustri* censeo digna *loco.*
id est *igne.*

7.

Anonymo cuidam, sed Serenissimo Authori in Tacitum ingeniosè commentanti.

Quàm bellè est *tacitum* scriptor scribendo
secutus,

Cùm *tacet*, is loquitur, cùm loquitúrque *tacet*.

8.

Domus Aurantia Gallæ fatalis.

Dic roſeine placent *aurantia* poma coloris?
Quo tua ſunt maculis lilia tincta rubris.
Hoc caput eſt ruſſum, quod tam tua fata timebant,
Morde, at *morte* cave, ne velut *Eva* luas.

9.

Medicina quotidiana bibuli.

Decoctæ damarum in ventre ſalubriter herbæ,
Cancrinique oculi ſunt medicina tibi.
Sunt etiam globuli laxando ventre parati,
Nuper & Elexir proprietatis erat.
Pharmaca quotidie recipis nunc iſta, vel illa,
Nunc magis aut minùs hæc, iſta, vel illa probas.
Præ reliquis tamen una placet tibi *potio* cunctis,
Lacryma vitis. & hæc *quotidiana* tibi eſt.

10.

Senex viduus puellam juvenem ducit.

Jam cano viduo *ſoboles* eſt multa *virilis*,
Sed cùm deficeret *filia*, ducta fuit.

11.

Juriſta obæratus.

Si, quod Juriſtæ dicunt, *Mors omnia ſolvit*,

Poſt

Post mortem solves millia multa tuam.

12.

Jurista frequenter in alieno corpore Juris quæsitat.

Quæritur, in toto quid quæras corpore Iuris?
Nimirum *totum* corpus ut invenias.
id est, *corpore Juris caret.*

13.

Leges bonæ, sed Legistæ multi mali.
In Legum reformatores.

Qui non Iuristas, sed pristina iura reformat,
Non lavat hic sordes, sed lavat hic, quid? *aquam.*

14.

Prætor iniquus non curat modicum.

Non curat modicum prætor: vis vincere causâ?
Muneribus partem vincere disce tuam.

15.

Princeps justus animata lex est.

Rex & *lex* modico valdè discrimine distant,
Rex igitur tanquam *lex* animata regit.

16.

Periculosum est nubere.

Est opus, ut totâ vitâ deliberet ille,
Qui vult uxorem non sociare malam.

17.

Maritus uxori contumaci.

Quæ volo, tu non vis, quæ non volo, fæmina tu vis,
Non volo, non amo te, tu modò quid facies?

18.

Idem ad amicum.

Ne mirare, ſuprà me ſi caput extulit uxor,
Ingenium mulier nam *leve* ſemper habet.

19.

Uxor marito.

Ne mirare, ſupra te ſi volo ſurgere, mi vir,
Quippe *caput vino* tu *grave* ſemper habes.

20.

In conjuges diſcordes.

Quòd *juga conjugii* non fert æqualiter uxor,
Stat ratio ſua: *vir cornua* ſolus habet.

21.

Paterfamilias eſt luminare majus & Materfamilias luminare minus.

Sol fulgore diem, ſed noctem *luna* gubernat,
Sic impar regimen *vir mulierque* tenent.

22.

Vetulæ latrant, non mordent.

Mordaces ſi quis vetulas reputaverit, errat,
La-

Latrant, non *mordent*, cur? quia *dente carent.*

23.

Virgines fatuæ.

Defecit fatuas oleum sine luce puellas,
Cùm propè jam sponsus tunc *foret* antè *fores.*
Ergo rogant socias, hæ cúmque petita negarent,
Tunc oleum, nimis at serò parare volunt.
Sponsus enim ad thalamum venit, priùs atque redirent,
Obductísque foris janua clausa fuit.
Et licèt hæ recipi pulsu, gemitúq; rogarent,
Nil, nisi *vos* dictum, *nescio*, triste ferunt.
Ergo *patrate* bonum moniti, dum tempus habetis,
Aut aliàs *oleum perditis* ac *operam.*

24.

Nocturnus platearum grassator.

Se queritur totas insomnes ducere noctes,
Credo, nam totas dormit & ipse dies.

25.

Verbum bibo: per omnia tempora.

Tempore *præsenti* careo, nam copia vini,
Præsentes animo non sinit esse sibi.
Est *imperfectum*, nam qui mera multa biberunt,

Multa *imperfectè*, nil faciúntque benè.
Eſt quoque *præteritum*: nam tempus inutile potis
Præterit, & nunquam, quæ fuit, hora redit.

Pluſquam imperfectum docet hydrope debile corpus,
Artritis, tuſſis, curva podagra, phtyſis:
Nunc age, nunc bibulis dic quale ſit ergo *futurum?*
Arca levis, cita mors, judiciúmque grave.

26.

Verbum vivo, *unicum habet tempus.*

Utere *præſenti*, nec tempus quære *futurum*,
Nulla tibi ſupereſt certa *futura* dies.

27.

Vana eſt combibentium ſalus.

In ſolido ſolidus ſtat amor, neque diffluit undis,
Eſt *vitreus*, *vitrò* quandò probatur *amor*.

28.

Galli in menſe Julio & Auguſto ter vincuntur.

Julius, *Auguſtus*, Gallis fatalis utérq; eſt,
Cæſari uterque ſuo menſis amicus erat.

29.

In menſe Auguſto ſub Auguſtiſſimi Cæſaris auſpiciis Gallia bis terrâ nempe marí-que vincitur.

Bis lavet *Augusto Augustus*, bis Gallia victa est,
Hostibus *Augusti mensis* hic ensis erat.

30.

Usurarii ex pauperum corio impiè ditescunt.

Nummulus ex *corio* non est, ais, amplius usu,
Falleris, ex *corio* pauperis ille tibi est.

31.

Mittenti ova paschalia.

Ova mihi vario misisti picta colore,
Quæ *veteri* mitti paschate more solent.
Tam benè mixtorum discrimina laudo colorum,
Candidus at prior est, absque *colore color*.

32.

Cur paschali tempore ova donentur?

Quàm benè conveniũt festis Paschalib⁹ ova!
Cùm data *Pax orbi* est, nempè Redemptor *Ovat*.

33.

Lucifer obscuratus.

Heu! quàm te densæ cingunt modò *Lucifer* umbræ,
Sic de *Lucifero* nil nisi *nomen* habes.

34.

Obstetrix alumno suo infeliciter nubit.

Connubio mulier juvenẽ sibi jungit alumnũ,
Quæ fuit *obstetrix*, esse *Minerva* cupit.

Doctorem vult esse *virum*, sic accidet, inquit,
Ut te plebs *Dominum*, méque salutet *heram.*

Nec mora! divitias, quas spreta Diana tulisset
In dotem thalami dat nova sponsa viro.
Sed *Doctor decoctor erat, minuitq; Minerva,*
Nervum: vult *heram* nuuc esse, quod esset *heri*.

35.

Aquæ utilitas.

Utilis, inquis, aqua est, incendia noxa delet,
Utilius foret, ut non opus esset aquâ.

36.

Cur fons Parnassius non vinô sed aquâ fluat?

Cur dat *aquas Helicon*? si redderet ille *meracum*,
Pridem ex fonte super *guttula nulla* foret.

37. *Aliud.*

Ingenium fieri vino reputatur *acutum*,
Cur ais, ergo fluit fons Heliconis aquâ?
Nempe *dolere* caput potis scit Apollo falernis,
Nil sed *acuta* juvant, quando *dolore* gravant.

38.

Studiosus luridus.

Te genitor voluit *doctum* celebrare *Lycæum*
Una

Una sed, ecce, tibi cura *Lyæus* erat.
Idem te voluit stodiosè volvere *libros*,
Unus pro cunctis sed tibi *Liber* erat.
Doctorem fieri voluit, *Decoctor* es, hinc fis
In *doliô cultus*, *stultus* & *in folio*.

39.

In Eundem.

Hunc veteres dubitant, græcúmne, vel esse *latinum*,
Germano saltem *plurima more* bibit.

40

Coqua rixatrix.

Pro *sacris* pulchrum est, *aris* pugnare *focisque*,
Pro *calidis* solùm litigat ista *focis*.

41.

Lotrix garrula.

Nocte, diéq; loqui consuevit garrula lotrix,
Verbera dura manu, *verbáque plura* facit.

42.

Jactantia vera, licèt auditori vix credibilis : Ænigma.

Mundi se fines jactat vidisse Camillus,
Nempé *superficiem*, terra rotunda quia est.

43.

Studiosi saxis nocturno tempore in fenestras grassantur.

Per vitreas jaciunt volitantia sacra fenestras,

Orbem non *unum* vi populare ſtudent.

44.

In eoſdem ſtrata platearum vaſtantes.

Percutiunt gladiis lapides, ſalit ignis ab illis,
Ignes ſunt *fatui*, ſed magis ipſe *furor*.

45

Studioſi Sartorum inimici.

Cur Studioſi ſunt ſemper ſartoribus hoſtes?
Hircorum quia gens eſt *inimica* ſcholis.

46.

Perſonam Morionis in theatro agens promovetur. ad Momum.

Morio promoveor, te res ea pungit acerbè,
Nec ratione cares: *Morio major* enim es.

47.

Scripta typo vulganda à mure arroduntur.

Edere vult librum, quo *famæ* conſulat, author,
Mus prior *edit* opus, conſuluítque *fami*.

48.

Timidus miles leporem in ſinu fovet.

Dum fovet incautè leporem, quem ceperat antè
Miles, eum celeres ſurripuêre pedes.
Conqueritur caſum ſocio, ſociúſque reponit,

Pan-

Pande sinum, poterit fortè latere *lepus*.

49.

Porcius miles glande ictus perit per Echonem.

Glandineô soleant cùm *porci* vivere *victu*,
Glandis ab unius succumbit *Porcius* ictu.

50.

Idem.

Glandis ad unius morirur miserabilis ictum
Porcius, & *porci* vivere *glande* solent.

51.

In Poëtam bonum sed bibulum.

Est tua Musa *Ceres*, tuus est quoque Bacchus *Apollo*,
Plenus utroque Deo, num malè *proficiat*?

52.

Vana jactantia exploditur.

Carmina, cūm dormis, solitum te pangere jactas,
Approbo, nam vigilans carmina nulla facis.

53.

Adulatoribus aures claudendæ sunt.

Qui præbet molles assentatoribus aures,
Surdus Justitiæ est, *audit* & ille *malè*.

54.

Malus medicus moritur.

Horâ unâ plures servat, quàm mille diebus,

Tunc animam moriens cum medicaster agit.

55.

Boni Medici necessitas.

Cur curas alios, cura te primitus ipsum,
Hæc pretiosa ægro est cura, simúlque tibi.

56.

Ridicula cum pulicibus lucta.

Nox erat, & molli recubanti fortè grabato
Non fuit à pulicum gente relicta quies.
Hanc modò, nunc partem se se convertit in illam,
Nusquam tuta fides, hostis ubique premit.
Et licèt insidiis aliquot capit ungue peremptos,
Mox nova castra; novi subsiliere greges.
Tardè, inquit, sapio, face proditus imperator hoste,
(nam juxtà lychnus cum face fortè stetit)
Tunc halitu flammam restrinquens, improba, clamat,
I modò, punge cohors, si sine luce potes.

57.

Agnellus homo luridus.

Hoste dari similem *porco* quis crederet *agnum*?
Agnus hic est *porcus*, cum mera multa bibit.

Thraso virum litteratum ludibrio habere volens, luditur,

Interrogatio.

Dic, quàm sit *fatuus* procul à Doctore remotus?

Responsio salsa.

Distat is à *fatuo*, quantùm ego disto tibi.

59.

Fortitudo Equitum Melitensium.

Vix procul inde vides sacra signa Ioannis in alto,
Vel terra, & subitò barbara turba fugis.
Sic fugis Ottomane crucem, sic signa Ioannis,
Ut *sacram* metuit Dæmonis umbra *crucem*.
Tantum vestra potest equites clarissima virtus,
Quantam unus crucifer quæso valoris habet!

60.

Ridiculus eques.

Ibat pauper eques pedibus, nam fortè caballum
Perdidit, & nullum æs, quo repararet, erat.
Supplicat ergò Duci, precibus quoque carmina jungit,

Sed

Sed quæ non uno manca fuêre pede,
Non *eques* aut *pedes* es bone vir, nec es ergo *Poëta*,
Et nihil omninò *Marte*, vel *arte* vales;
Inde *ſtipem* nullam, *ſtipendia* nulla mereris,
Ars tua *clauda* tamen *ſtipite* digna fuit.

61.

Tutor noviſſimus pejor priore remoto.

Tutelam malè præceſſor tuus antè gerebat,
Tu telam filo deteriore trahis.

62.

Tutoris officium.

Inſtar *pupillæ pupillum* dilige Tutor,
Sed *bona* ne *cura*, ſi *bona cura* tibi eſt.

63.

Par pari.

Gleiche München / gleiche Kappen.

Pilatos omnes *credo* complectitur *unum*,
*Pileo*lóque *pari par* decet eſſe caput.

64.

Oratio pro tempeſtate efficax.

En valuêre preces: *aures* pia præbuit *aura*,
Sic *metis* in terris, ſi prior aſtra *colis*.

65.

Inſtitutio artem fundat, lectio perficit.

Præceptum fundat, ſed lectio perficit *artem*,
Nil faciunt *leges*, ſi nihil ipſe *leges*.

66. In

66.

In conjuges ſtaturâ & animis diſcrepantes.

Parvulus es, cùm *tanta* tamen tibi jungitur *uxor*,
Dic, veſtrûm quanta eſt hæc, rogo, diſparitas?
Tu ſurſum ſpectas? te deſpicit illa deorſum,
Nec tamen uxorem reſpicis, illa virum.
Diſcordes animis, verè *duo carne ſub una*,
Illa refert ſemper murmura, tũq; minas.
Sic bos cum tenero malè portat aratra juvenco,
Jungitur & vitulo ſic malè pullus equo.
At tandẽ placidi componite jurgia: *Parve*
Incipe vir magni corporis eſſe *caput*.

67.

In Bibliopolam parvulum.

Nec *vir* es, aut *mulier*, non es *puer*, éſque nec *infans*,
Sed *compendiolum* diceris eſſe *viri*.

68.

Gratia vitæ emitur,

Interrogatio.

Gratia dic! vitæ num ſit *data gratia gratis*?

Reſponſio.

Eſt aliis, *carò* ſed ſtetit illa mihi.

69. Fu-

69.

Fugatio ad ſacram religionem con-fugienti.

Ad ſacra ſæpta fugis, quid ita es, niſi *trans-fuga* mundi?
Sed qui ſic *fugiunt*, vincere ſæpè ſolent.

70.

S. Bernardus in tenera ætate religioni ſe mancipat.

Cur adeò properè mundum Bernarde re-linquis?
Ut ſiſtam *mundum cor*, animámque Deo.

71.

S. Petri de Alcantara bacculus aridus terræ infixus in ficum efflo-reſcit.

Gaudebat Dæmon Chriſtum maledicere *ficum*,
Monſtrat ei *ficum* nunc Petrus, ecce! *novam*.

72.

Echo

S. Simeonis antè mortem ſuavem hymnum canentis.

Non tantùm dulcis præcedens funera cantus,
Sed probat ipſe *color*, quòd ſit hic albus *olor*.

73. Or-

73.

Ord. S. Franciſci Encomium.

Gens humilis, meritis dives, pauperrima cenſu,
Ultima vult orbi, prima ſed eſſe Deo.

74.

In ejuſdem Sandalia.

Non eſt Franciſci gens fratribus *altior* ulla,
Namſuper *alta* ſolet ponere ligna pedes.

75.

In eadem.

Quàm Franciſce tuis ſociis eſt fertile lignū,
Hoc tener in ligno dum tibi *creſcit homo*,

76.

Idem.

Poſſe negas *homines in ligno creſcere*? lignā
Reſpice *Franciſci*, ſæpè ibi *creſcit homo*.

77.

Animi demiſſio eſt virtutum omnium exaltatio.

Ma *Sigiſmundi* virtutum eſt maxima *virtus*,
Quòd tot *virtutes* neſciat ipſe ſuas.

78.

Luſciniæ Echo.

Quàm *ſuavis ſua vis*, tantula cùm ſit *avis*.

79 Laus

79.

Laus alaudæ.

Chara *avis* es cantu, ſimul atque ſapore ſuavis:
Dignum *à laude* tuũ nomen *alauda* geris.

80.

Ridicula hominis pagani ſimplicitas.

Cancros dilecto mittebat amicus amico,
Quos in viminea corbe gerebat homo.
Sed gerulus calathus, quia non benè clauſus hiabat,
Accidit, ut caperet gens rubicunda fugæ.
Se genus omne cavæ ſubducit reptile corbi,
Cancris *retrò fuit*, ſed via recta viro.
Denique, ſed ſerò fraus eſt patefacta ferenti,
Quid faceret? ſtatuit diſſimulare dolos.
Chartam portabat, muta eſt ſine voce papyrus,
Nil ea de cancris, nil ego, fabor, ait.
Nec mora! tradit hero ſignatæ grammata chartæ,
Sed quod perdiderat, non memorabat, onus.
Is reſerat chartam, relegit, loquiturque recleclâ,
Hæc, bone vir, cancros littera, dicit, habet.
Ruſticus exiliens clamat, fugiſſe putabam,
Res bona, *quòd* cancros *littera fida* tenet.

81. *Ho-*

81.

Hora, Ora.

Quisquis es, *hora* monet, quoties sonat auribus, *ora*,
Resquia certa *mori*, nullâque certa *mora* est.

82.

Ruricolæ plerúmque in religione rudes.

Non discunt *orare*, licèt doceantur *arare*,
Sed per *rastra colunt* rus, nec *ad astra volunt*.

83.

Rusticus oblivioſus.

Quod meminisse cupis, scribis carbone galero,
Nam *cerebro sapit* & plus *capit* ille tuo.

84.

Quomodò differentia calcei vulgaris à calceo nobili dignoscatur?

Interrogatio.

Calceus *Agricolæ*, & *Domini* dic, quomodò differt?

Responsio.

Ille pedem *agricolæ* continet, alter *heri*.

85.

Fatuus secum ineptè loquitur.

Si tecum loqueris, sapienter plurima dicis,

Stultus at auditor dicitur eſſe *tuus.*

86.

Injuſtus bellator militibus ſuis in bello occiſis juſta fieri curat.

Juſtum eſt, militibus ſua ſolvere *juſta* peremtis,
Juſtius, ut *juſtê* ne moriantur, agas.

87.

Iurisprudentia eſt ars æqui & boni,
ſed Judex iniquus tantùm artem *boni* facit.
Injuſtus judex non *Jus*, ſed munera curat,
Non *æqui*, ſed is eſt doctus in *arte boni*.

88.

Lis & vis ſunt affines.

Inter ſe minimo diſtant diſcrimine, *lis*, *vis*,
Ad *vim* ſic ſemper *lis* ſolet eſſe via.

89.

Molitor inſons perſecutionem patitur.

Cauſidicus timidi ſervat bona Jura clientis,
Arbiter injuſtus quem ma è perſequitur.
Multùm patronus ſudavit, & alſit, iniquo
Judicis affectu ne bona cauſa cadat.
Invidiâ tandem victâ bona cauſa triumphat,
Inſontem cenſor judicat eſſe virum.
Cauſidicus piſtor, molitor pars, *candida causa eſt*,
Sed caruit *loculis*, hinc *mola tarda* fuit.

90. *Ju-*

90.

Judex iniquus molitorem opprimit.

Tantæ *molis* erat, lapidem removere *molarem*?
Petra tibi cessit, *mollior* ergo fuit.

91.

Lepidum tyronis responsum furti molitorem argutè perstringentis.

Jussus ab *effectu* fuerat puer edere causam,
Dicam, ait, et *furfur* pro molitore capit.

92.

Echonis natura.

Ænigma.

Dic mihi, quis *nomen* convertere possit in *omen*?
Quis viridem *laurum* convertere possit in *aurum*?

Solutio: *Echo.*

93.

Creatio Politica: per Echonem.

Surgeret ex *fimo* cùm nuper Pamphilus *imo*,
Tunc novus est ab *humo* denuo factus *homo*.

94.

Regula, quòd fœmina nulla bona sit, exceptionem habet.

Fœmina nulla bona est, distinquo, *viva*, fatebor,

Si fuerit fatis fœmina *functa*, nego.

95.

Fides fœminarum anceps.

Fortè fidem voluit sponsæ tentare maritus,
Dic, ait, ò bona! quàm sum tibi charus ego?
Replicat illa, potest testari *noster Achates*,
Quòd totâ sine te dormio nocte nihil.

96

Conjuges discordes discordià concordes

Pertinax par est, animísque durum,
Ille vult albùm, petit illa nigrum,
Cùm sui Juris tamen est uterque,
Par sibi par est.

97.

Unica in orbe uxor mala est.

Una mala est mulier! quæ? sua cûique viro.

98.

Anus redicula.

Cur *Isabella* gerat semper *flabella*, requiris?
Fabella antiqua est, cupit illa existere *bella*.

99.

Vir bonus uxorem grandem ducit.

I *pigmæe* tibi sponsam sociare *gigantem*,

Unus

Unum eritis, *punctum* littera Iota feret.

Ænigma.

100.

Lucta Poëtarum.

Ad pugnas fueram licèt impare Marte vocatus,
Nam toto tu me vertice major eras.
Sed bona lucta fuit, neque nobis *gloria dispar*,
Tu facis *Hexametron*, sic ego *Pentametron*.

CENTURIA QUARTA.

I.

Cajus Julius Cæsar nominis sui vaticinium implet.

EX utero *cæsus* quot *cædo*! *cæsus* at idem,
In *partu*, *vitâ*, *mortéque* Cæsar eram.

2.

Idem in senatu 23. vulneribus à conjuratis confoditur.

Viginti recipit miser & *tria* vulnera Cæsar,
Incipit, & Cæsar desinit esse simul

3. Pom-

3.

Pompejus magnus à Cæsare victus mi-
serè vitam perdit.

Magnus Pompejus fuerat ; sed desiit esse,
Nam *vitam victus* perdidit atque *caput*.

4.

Cæsar Pompejo *magno* Marte, & morte
major fuit.

Viginti recipit moriens *tria* vulnera Cæsar,
Ictus Pompejo cùm satis *unus* erat.
Marte fuit *magno* Pompejo *major* Jülus,
Conveniens fuit hoc, ut quoque *morte*
foret.

5

Octavianus Cæsar *Augustus* ex triumviro
primus Romanorum Impera-
tor.

Ante *triumvir* eras, socios ubi Marte *tri-*
umphas,
Octavum comples solus in orbe *gradum*.

6.

Claudius Tiberius Nero *Imperator* ma-
ximus simulator

Quod vis, nolle vafer, quod non vis, velle
videris,
Quod non es, simulas esse, nec esse, quod
es.
Sed tamen *hircus olet capreis* malè tectus in
antris,
Non *bonus est*, quisquis *fingitur* esse *bonus*.

7. Ca-

7.

Cajus Caligula Romanorum Imperator 30. vulneribus confossus obiit

Non procul à propriâ recidant licèt arbore poma,
Fœx tamen *Augusti* sanguinis iste fuit.
Quis melior patre, quis proavo, quis iniquior isto?
Hoc benè, quòd *moriens* alter *Jülus* erat.

8.

Tiberius Claudius Romanorum Imperator.

Claudius appellor, re vero *nomen* in *omẽ*,
Me Duce Romanum *claudicat* Imperium.

9.

Domitius Nero Romanorum Imperator.

Non homo, sed colubri partus Nero creditur esse,
Matris, Doctoris, sui, Patriæque latro est.

10.

Glaudius Tiberius Nero ab Augusto legata populo solvere differt.

Quod moriens populo Cæsar legavit, avari
Distulit hæredis solvere parca manus.
Ausus id incautè *momus* memorare jocando
Se miser ingenio perdidit ipse suo.
Per plateas fertur cùm fortè cadaverapertas,
In tumulo propriis ut societur avis.
Advolat infelix, animámque cadaveris alta
Voce vocans temerè talia verba dedit.

Manibns *Augusti* tu nuntius ibis ad orcum,
Quæ pia fecit, adhuc jussa tenere *moram*.
Nulli folvuntur *legata*: ita *Morio* clamat,
Nescius à *Morior* quàm *mora* parva foret.
Audiit ista novus Cæsar, risitq; tremendū,
Legatum capiet *Morio* primus: ait.
Nec mora, quæ tabulæ retulêre, soluta recepit,
Sic *sua vota*, sed & mox *sua fata* tulit.
Supplicium capitale reo Ducis imperat ira,
Excipiuntque leves seria *fata* jocos.
Hæc ait, *Augusto* fer nuntia primus ad orcū,
Augusto fieri nunc aliquandò satis.

II.

Tyrannus ludit cædibus.

Quod pueris *nux* est, hoc *nex* solet esse tyrannis,
Lædit, dum *ludit*, nunc *nocet*, inde *necat*.

12.

Epitaphium Julij Cæsaris carmine consonante.

V	v	l	l	præf	m
ah	olui	atum	eges	igere	undo
d	f	r	ass	f	
d	vo	cr	m	meli	fr
um	to	cdo	e	ore	ui
t	fa	c	d	teri	f

Sic legatur.

Siſte Gradum.

Vah! volui latùm leges præfigere mundo;
Ah! dolui, fatum reges affigere fundo,
Dum voto credo me meliore frui,
Tum fato cedo deteriore: fui!

13.

Marcus Tullius Cicero Eloquentiæ Romanæ Princeps.

Inſólitus caſus! *mutos facundia* fecit,
Nam *Cicerone* ſtupens *Roma loquente ſilet.*

14.

Einſdem Epitaphium.

Siſte Gradum
Viator.
Impoſuit mihi mors *æterna ſilentia*: *Dixi!*
Roma dole, mutus nunc *jaceo, taceo.*

15.

Aliud.

Siſte Greſſum Viator.
Hìc *jaceo* mutus: quis ſim, cave quærere,
Dixi.

16.

Aliud.

Sta Viator.
Eloquii tunc *flumen* eram, nunc *aruit nuda,*
Sum mutus, qui tunc nil *niſi lingua fui*

17

Virgilii Poëtarum Principis Encomium.

Frustra *Virgilium* celebrare Poëta studebis,
Nam tibi *Virgilius*, sic opus ipse foret.

18.

Otiosa Fenestrarum Cultrix.

Cur toties parulis prospectas Blanca fenestris?
Ut videas, an, dic, ut videare, facis?

19.

Berta neo-sponsa musicâ nocturnâ delectatur.

Non canitur surdæ, dum sit tibi musica noctu,
Auris sæpè choris, & tua porta patet.
Non lapis es, facili trahit Orpheus arte sequentem,
Sed vita *tactum* Berta, maritus adest.

20.

Cæsar Domitianus muscas capit.

Ne muscas capiat, noctésque diéq; laborat,
Ne *muscam* capias, tu sapienter age.

21.

Constantinus Magnus Romanorum Imperator Constantinopolim, & Imperium simul Orientale condit.

Constantine novam struis alter Romulus urbem,
Im-

Imperiumque faeis Cæſar in *orbe* novum.

22.

Conſtantinus ultimus eandem Urbem cum Imperio & vita perdit.

Vitam, urbem, imperium dum *Conſtantinus* hic alter
Perdit, dic, *conſtans* an ſit in orbe aliquid?

23.

Momilus Auguſtus Vltimus Romæ regnat.

Imperii tibi prima dies fuit ultima menſis
Auguſti, Auguſtis túque ſupremus eras.

24.

Carolus Magnus Primus in Occidente Romanorum Imperator.

Occidui ſolium fundâſti Carole *regni*,
Dividuæque Jovis fis novus author *avi*.
Tunc novus *occiduis Sol* luce refulſit in oris,
Fac Deus *Imperium* non fieri *occiduum*.

25.

Carolus Craſſus Romanorum Inperator è ſolio depoſitus.

Carolus ex *Cræſo* miſerum mutatur in *Irum*,
Fítque *macer* ſubitò, qui modò *craſſus* erat.

26.

Carolus Calvus Romanorum Imperator à Medico Hæbreo venenô tollitur.

Hæbreus Medicus tibi Cárole toxica miſcet,
Nec prohibet data, ſed dat medicina necem.
Sunt aliis medicina tamen bona, toxica facta,
Hæbreum ut caveas, ni *malè ſanus* eris.

27.

In peregrinam nobilitatem mentientes.

Qui genus à græco fingunt ſibi Cæſare falsò,
Se veros græcos hac ratione probant.

28.

Ex ignobili fit nobilis.

Antè colonus erat, nunc dat *mare nobile nomen*,
Quas *ager* auxit opes, ne modò mergat *aqua*.

29.

Utrùm nobilitas doctrinæ præſtet?

Propter doctrinam fero nobilitatis honorẽ,
Ergo *doctrina* eſt *nobilitate prior*.

30.

An militia arti præſtet?

Non noſtri nova, ſed vetus eſt lis temporis acti,

An toga deteriorſit, me iórve ſago.
An gladius præſtet calamo? Bellona Minervæ?
Miles Doctori, Mars ferus, arſve pia.
Sed meritò *placidam* præcedere dicimus *artem*,
Nam gladium facit *ars*, *ars* gladiúmque *regit*

31.

Utrùm Jurisperti vel Medici dignio-res ſint?

Juriſtis, Medicíſque vetus ſuper ordine lis es,
Quis prior illorum, poſteriórve foret.
Sed juriſta tenet *certam*, me judice *dextram*,
Flectere nam *dextrè* cuncta *ſiniſtra* poteſt.

32.

Poëſis jacit bonoris ſemina, & amor diſcendi artem acuit:

Diſtico cancrino.

Artem animes, ibit ſua laus, tibi ſemina metra,
Artem eroſit amor, promat is ore metra.
Luſt vnd Lieb zu einem Ding / macht alle Mühe vnd Arbeit ring.

33

Præmia ſunt ſtimulus juventutis.

Dentib' in menſa egregiè, buccíſq; laboras,

Hac tamen ex opera præmia nulla petis.
Ut ronchos ducas, molli jaceáſque grabato,
Hac etiam ex opera præmia nulla petis.
Attalico gaudens oſtro veſtiris & auro,
Et tamen hìc iterum præmia nulla petis;
Sed nulli gratìs cupiunt evadere docti.
Diſcitur ex quæſtu, fit nihil abſque lucro.
Præmia pondus habent diſcentibus addere calcar,
Nec ſine muneribꝰ doctus Apollo placet.
Ergo *ſtude*, ſtudiiſq; tui pete præmia dignus,
Nobilis eſt *quæſtus*, quando *emis*, undè *ſapis*.

34.

Amicus cenſuram operis facere negat.

Cenſuram renegas *operis* ter amice petitam,
Quamvis *cenſum operæ* ſolvere promptus eram
Forſan, ut offenſam faciat cenſura, vereris?
Hæc *cenſura*, potes credere, *falſa* foret.

35.

Ad Epigrammata Bechtelini preſtantiſſimi hujus ævi Epigramatographi.

Iſte liber modicus *Veneres* complectitur omnes,
Sit *licèt* à *Veneris* tam procul ille jocis.

36.

Affectus ſolus non ſatisfacit.

In gentem noſtram *ingentem* te dicis amorꝰ

Con-

Condere corde : parum eſt hoc , *aperire* ſtude.

37.

Non amare benè meritum inhumanum ; odiſſe verô crudele eſt.

Turpius odiſti, quàm non agnoſcis amandū,
Si benè *non facies*, nec mala ſit *facies*.

38.

Poëta extemporaneus, ſed humilis.

Multos, confiteor, recitas ex *tempore* verſus,
Tempora ſed tibi non lædis, *acumen* abeſt.

39.

In Dieculam Plagiarium.

Carmina cùm recitas aliena, *Diecula*, fur es,
Nox, cave, ne fias, ſi tibi dico *diem*.

Vel.

In lucem venies, ſi tibi dico *diem*.

40.

Poëtæ bibuli proverbium.

Vinum acuit ingenium.

Sunt tibi metra quidē, celeri ſalientia curſu,
Ut tamen illa *fluant*, vis, mera larga *pluant*.

41.

Idem.

Verſu cancrino.

Remane vati, dedita vena mero.

42.

Indoles carminis.

Verba ligata *modum digitis* numerata capeſſunt,
Sunt tamẽ hæc *pedibus* currere docta ſuis.

43.

Inabſurda ſimilitudine utentem.

Quiſquis equæ ſimilem Regis neo-dixit *amatam*,
Non equiti, nec equo par fuit, ergo cüi?

44

Uniùs canditati mors alteriùs promotionem juvat.

Quàm ludunt *ſors*, *mors* eventu diſpare!
naim te
In tua *vota*, ſed hunc in *ſua fata* trahunt.

45.

Idem.

In *votis* fuit & *fatis*, ut Epiſcopus eſſet,
Nam *fatum* firmat, *vota* quod antè dabant.

46.

Jactantia ſtolida Rodomontij.

Europæ patriam eſſe tuam totius *ocellum*,
Dicis; num *cæcam* forſitan eſſe putas?

47.

Simile.

Europæ patriam veſtram *cor* dicitis eſſe,

Sed tam *vecordem* credere nemo volet.

48.

Nec Radamanthus in propria causa re-
ctè judicat.

Interrogatio.

Qua ratione patet, lis an sit iniqua, vel æ-
qua?

Responsio.

Est *bona*, si mea sit, sin aliena, *mala*.

49.

Advocatus iniquus marsupium, non cau-
sam curat.

Non frustra litem curat Patronus iniquam,
Nempe *suam* causam, non agit ille *tuam*.

50.

Idem clientem graviter emungit.

Non *ratione* caret litis defensor iniquæ,
Quàm *gravis est ratio, calculus* ipse docet.

51.

In nocturnos thesaurorum scrutatores.

Thesauros terrâ qui quærunt nocte latentes,
Ratò divitias sole nitente vident.

52.

In eosdem.

Cur noctu *vigilas* thesauro stulte latenti?
Rebus sed *vigila* sole nitente tuis

53.

Jactantius theſaurum ſex talentorum in ſuo fundo defoſſum eſſe ridiculè gloriatur.

Sex, ais, eſſe tuo defoſſa talenta ſub agro,
Id, pretium majus ſolvat ut emptor, agis.
Emptor erit ſtultus, non viſa talenta paciſci,
Stultior eſt ſed qui vendere viſa velit.

54.

Mercatoris regula.

Mercari vili prætio, *bona* vendere carò,
Eſt mercatoris regula prima *boni*.

55.

Globus argenteus ex una parte juvenem, ex altera parte mortem exhibet.

Humanæ fragilitatis ſymbolum.

Exhibeo faciem juvenili flore virentem,
Vix vertas orbem, *triſte cadaver ero*.

56.

Monopolium reipublicæ peſtis.

Unus opes cumulat, tractans comerciaſolus,
Econtra debent mille perire fame.
Tolle mono-poliûm, propriámque reſolve crumenam,
In multas partes *diſtribuentur opes*.

57. Qui

57.

Qui nescit pecuniam administrare, nescit regnare.

Non regis æs ærisve, Rex nec es, & nec eris.

58

Parca manus non amat pecuniam cursivam.

Esse bonam reputant, si sit *cursiva*, monetam,
Sed parcis *manibus*, quæ *manet*, illa bona est.

59.

Bona moneta sæpè in pejorem mutatur.

Quæris, quæ bona sit, justa, aut injusta *moneta*?
Quæ manet, est *bona*, quæ non manet, est *melior*.

60

Raritas pecuniæ tempore belli.

Aurea fluxerunt, succedunt tempora *ferri*,
Rara moneta sonat, Mars sed ubiq; *tonat*.

61.

Furtum capitale pecuniæ ad mutuum destinatæ.

Est *capitale*, reum furti se reddere, fur hic
Sustulit æs magnum, ne *capitale* foret.

62

Vis & jus.

Inter se solo *vis* & *jus* ordine distant, Sci-

Scilicet est *vis*, ut *jus* tueatur, opus.

63.

Magnum vectigal parsimonia.

Frugalis nisi sis, culpabis tempora frustrà,
Fruges frugalis sat tibi mensa dabit.

64.

Avaritia ministrorum.

Non sibi sed Domino juga fert & aratra juvencus,
Non sibi sed Domino mella operantur apes.
Non sibi sed Domino fert lanam candidus agnus,
Fabrica sola *sibi*, non *fabricatur* hero.

65.

Proverbium retortum.

Veridicos solùm *fatuos*, ais, esse Leander,
Quàm modò *verificus* tu, licèt ipse, *sapis*.

66.

Aliud.

Solùm, inquis, pueros, fatuósque edicere verum,
Mentiris, nisi sis vel *puer*, aut *fatuus*.

67.

Interest reipublicæ, ne crimina impunita maneant.

Pœna facit cautos, facit indulgentia laxos,
Tutus nemo foret, si prorsus tuta foret.

68.

Adulatio eſt aulæ magnificat.

Aulæ tanta ſo er non *magnificentia* veſtræ,
Magnificat toties ni canetetur ibi.

69.

Balneum ſalutare.

Quomodò perpetuas poteris tolerare favillas,
Qui tepidas tam fers impatienter aquas?
Nõ opus eſt gelidâ, quæ flammas mitiget, undâ,
Ex oculis *calidas* fuude doloris *aquas.*

70.

Ita vivendum eſt, quaſi quotidiè eſſet moriendum.

Dilige virtutem, fuge crimina, conſule famæ,
Quotidiéque velis *vivere*, ſive *mori.*

71.

Ad corvos S. Menradi M.

Quotidiè quia pane piumi laturâſtis *alumnum*,
In terris raræ nonnè fuiſtis aves?
Iidem, latrones cæſi quia vindice roſtro
Proditis, hi vobis *pabula juſta* parant.

72.

Lanio lanionem laniat.

Non *ficulum* tantúm *ficulus* malè lividus odit.

Et

Et *lanio* ſocium *dilaniare* ſolet.

73.

Idem.

Cur *lanio lanias lanionem* ? inimicus a-
micum ?
Officium *veſtri* conſtat id eſſe *canis*.

74.

Sartoris & ſutoris ridicula lis, ſuper præſtantia

Sutor ſartori litem ſuper arte movebat,
Quis prior ex illis, poſteriórve foret.
Anxia pugna fuit, punctim, cæſimq́; ferire,
Quilibet inſtructus, vel ſat *acutus* erat.
Veſtit uterq; virũ, mulierem veſtit uterque,
Quin ſartor *ſemi - nobilis* eſſe cupit.
Cùm tamen *ille* pedes tegat, alter nobile
corpus,
Inferior ſutor *conditione* fuit.

75.

Filii parentum debitores.

Sunt mihi *divitiæ* parvæ, ſed pignora multa,
Credita pignoribus ſemper ineſſe ſolent.

76.

Officioſus debitor.

Plurima ſæpè mihi debere fateris amice,
His mihi blanditiis poſſe placere putas?
Officiis certare volo: tu *debita* ſolve,
Et fac, ut *fiam debitor* ipſe tuus.

77. Fi-

77.

Filius immorigerus Parentum dolor.

Dum *refragus* natus remoratur jussa parentis,
Accelerat patrias tunc *mora longa* minas.

78.

Ingrati filii fœtentibus nebulis similes sunt.

Ingrati proprios qui non coluêre parentes,
Nubes fœtentes sunt, *nebulæque* nigræ.
Hæ *solem* obscurant Patrem, *terrámque* parentem,
Sic natus *nebulo* sit, nisi gratus erit.

79.

Hostis culpando prodest.

Si *vitium*, quod habes, refricando detegit hostis,
Tunc bona lingua *docet*, nil mala lingua *nocet.*

80.

Multi scipiones manu, non corde ferunt.

Scipiades nostro spectamus tempore multos,
Sed tamen est patriæ *scipio* nemo suæ.

81.

Idem rarò sibi similis.

Sol in *vere solet* concretos *solvere* rivos,
Sed *siccando salem sol solidare solet.*

82. Ver-

82.

Verbum avi simile.

Quod semel emissum est, volat *irrevocabile verbum*,
Hinc cave, *ne levis* hæc te *malè* lædat *avis*.

83.

Bellum sine necessitate nunquam suscipiendum.

Qui, cùm pace frui posset, tamen eligit arma,
Turbato temerè dat sua vela *mari*.

84.

Pax ignominiosa turpior est bello infelici.

Ni *bellè* quoque *bella* geras, malè *bella* vocantur,
Turpe tamen *fœdus fœdius* esse puta.

85.

Idem.

Bellò non *bellè* gesto vix turpior est res,
Turpe tamen *fœdus* fœdius esse puta.

86.

Fuga ignominiosa.

Quid retulit *cursor? cursorum* millia multa,
Cùm fugerent hostes, facta fuisse refert.

87.

Stratagema dispar.

Vincendi, & se recipiendi.

Utitur ingenio Dux noster, *vinceret* ut te,

Tu satis ut fugeres, ingeniosus eras.

88.

Gratulatio ad filium charum ex Orien-te reducem.

Ex oriente redux salve *lux* clara parentum,
Lucem fortunæ nunc *Orientis* habe.

89

Nox filiolum rapit, & dies altera reddit.

Nox mihi filiolum rapuit, lux altera reddit,
Sic *Pollux* oritur, mox ubi *Castor* obit.

90.

Fundatio Domûs Clericorum Salisburgi salutaris.

Ædificent alii ruitura *palatia*: Clero
Cùm struit iste domos, *ædificat populum.*

91.

Non omnes Clerici virtutem liberalitatis habent.

Cur bone *Petre* tui ciftas aperire recusant?
Claudere sed tanta sedulitate student.
Dive, dedêre tibi gemmas, *Pater*, æthera claves,
Ut referet prior, & clauderet illa polum.
Ergo cùm teneant, quâ clauditur arca, secundam,
Primam, quâ *referent*, tu quoque redde tuis.

92. Bi-

92.

Bibliotheca nobilis Collegii Societatis Jeſu Monacenſis extemporaneum.

Lumina ſunt, quotquot ſtant docta *volumina* ſcamnis,
Ordine tam *claro*, *clarior ordo* venit.

93.

Ejuſdem authorum Encomium.

Fallere, quos ſpectas, ſi neſcis vivere libros,
I, lege, non *vivant*, *vivere* quandò docent!

94.

Ludendo non fallitur tempus, ſed luſor.

Ludere te dicis, ne *tempora longa* nimis ſint,
Atque graves ludi *fallere* ſorte *moras*.
Fallevis ipſe miſer: brevis eſt mora temporis, iſto
Utere, *ſemper* ibi vel patière *moras*.

95.

Ludus fatalis.

Charta parit rixam, me rixa vocavit ad arma,
Unica nam ſocio plus data *charta* fuit.
Lucta cruenta fuit, quia vulnera ſenſimus ambo,
Heu! ſed ego ſocii fixus ab enſe cado.
Tam *fallax* ſors! tam *ſorti* propè junctáq;
mors eſt,

Mors

Mors vicit, cûi tunc *ultimus ictus* erat.

96.

Quis politicorum hoc ævo optimus?

Nunc bonus aut melior, vel & optimus ille
Statista est,
Qui *malus* aut *pejor*, *pessimus* est reliquis.

97.

Galeæ & aleæ militibus propriæ.

Mors multùm *galeis*, sed sæpiùs utitur *aleis*;
Dum *caput* hæ servant, hæ *capitale* necant.

98.

Cantor simulatus.

Cantori quondam vox *mortua faucibus* hæsit,
Nempe tonus misero tunc nimis altus erat.
Quid faceret? cupit alta sequi, levat altiùs ergo
(os latè pandens) sed sine *voce manum*.
Musica muta fuit, sed & ingeniosa canentis,
Nam verè *surdis hoc cecinisse* fuit.

99.

Absonus Musicus.

Cum *cane* coucertas *cantu*, nam dum *canis*;
Ecce!
Auditus simul est tunc *ululare canis*

100. Ca-

100.

Caſus fortunæ *regii canis ex feneſtra decidui.*

Heu dolor! ex ſummo præceps ruit acta repentè
Fortuna, & magno rege dolente perit.
Solicitos habuit *caſus* tam triſtis amicos,
Rem malè cùm capiunt, *omnia magna timent.*
Denique ſunt patulum riſus ænigma ſecuti,
Defunctum patuit tunc doluiſſe *canem.*

CENTURIA QUINTA.

1.

Ducunt in bonis dies ſuos divites, & in puncto deſcendunt ad infernum.

Aſque timore dies *lætos* agit Euclio *dives*,
Quotidiè *lautas* inſtituitque dapes.
Lætas ille domos, molles amat Euclio *lectos*,
Nec *Lethum & Lethen* ſtare ſcit antè fores.

2.

Sibi quisque fidelissimus minister.

Ne credas aliis, quæ is suffectis ipsus agendis,
Tam nemo satagit, quàm sibi quisq; benè.

3

Emericus Teckelius rebellis.

In superos, patriã, Regem desertor & hostis,
Emeritus vix non trunco *Emerice* lues.

4.

In eundem.

Regia sceptra, thronos, atque alta cacumina spiras,
Pro *meritis* tantis *munus acumen* erit.

5.

Aliud.

Ut fiat tibi pro meritis Epigramma Teckeli,
Lignea conveniens *cuspis acumen* erit.

6

Testamentum est testatio mentis, non *menti.*

Ut *Testamentum* moriens Rex condere posset,
Testis ei mentum sed sine *mente* fuit.

7.

Rex Lusitanus Regi Galliarum.

Consensum præstas nunquam Ludovice petitum,
Ut liceat partis neutrius esse mihi.

Nunc

Nunc rogo te, liceat mihi *amicum* Cæsaris esse,
Quando negas, tibi ego tunc *inimicus* ero.

8.

Dubitantius simulator.

Dic Dubiosè quid es, neuter, vel amicus, an hostis!
Quem malè facta notant, dulcia verba negant.
Hostem facta probant, bona verba loquuntur amicum,
Neuter eras, *inter* non tamen *esse* finit.
Jam capio, quis sis, quia non es neuter, ut ètrque es,
Es *vulpes*, quamvis *agnus* es atque *lupus*.

Freund im Mund/ feynd im Grund.

9.

Eques ordinis Metitensis ruinosam domum suis impensis restaurat.

Hanc emit Ordo domum veterem, sed corruit empta;
Restauravit eques, tempus utriq; fave.

10.

Idem.

Cùm ruerent, *gratis* eques hæc nova tecta reponit,

Ne ſint *ingratis* nunc *habitator* age.

11.

Plurivalentio nomine, & virtutibus tali

Hic vir hic eſt, nullô ſatis appreciabilis auro,
Nam quanti taxes, *plus* tamen ille *valet*.

12.

Regni potiundi ſpe luditur ſperantius.

Sarmatiæ à Franco quæ ſit diſtantia regna,
Quàm polus hîc altus, quámque levatus ibi.
Quàm longum Boreale fretum, latum atque profundum,
Dic mihi, dic *Conto menſe remenſe* viā.
Quæ ſint arma, viri, mores, bona, ſacra Polonis,
Qui portus, urbes, mœnia, Regia, *Rex*?

13.

Piſtorius Poëta Piſtorio amico.

Sunt duo *piſtores*, nullius uterque *farinæ*,
Nam *longos panes* reddit uterque *breves*.

14.

Monetæ degradatio ſubitanea vulgò damnoſa.

Si, quòd non *maneat*, *moneat minuendo* moneta,
Tam mala non nobis illa *moneta* foret.

B S B
MÜNCHEN

15.

Præbendæ crescunt, *sed* pauperes neglíguntur.

Præbendam præbenda parit, crescente crumenâ,
Pauperibus *præbe*, & superis *præbenda* placebit.

16.

Multi plura beneficia possident.

Plures præbendas nunc passim possidet *unus*,
Res est mira, tamen nec *satis unus* habet.

17.

Nobilis Faber.

Excudant alii vivos de marmore vultus,
In *statuas* alii dura metalla liquent.
Dum *faber* hic leges, & avita *statuta* recudit,
Æternam *statuit* Justitiæ *statuam*.

Vel

Justitiæ *statuam* fabricat atque sibi.

Vel

firmum Justitiæ fabricat ille *Saturn*.

18.

Aliud.

Aurifaber non est, *Faber* est tamen *aureus* iste,
Nam polit ingenio patria Jura suo.

19. Ami-

19.

Amico podagrico.

Immites *doleo* cum Mœcenate *dolores*,
Sed *fuga* nulla datur: *pugna pedestris* enim est.

20.

Carmen Natalitium Parenti à filio.

Natalis rediit lux felicissima, vitæ,
Ô genitor fuerat quæ tibi prima tuæ.
Fausta tibi, mihi fausta dies, tibi vivere, nempè
Hæc dedit, atque patrem lux dedit ista mihi.
Sæpiùs ergo redi, neque desine læta redire,
Lux ita fausta patri, lux ita fausta mihi.
Prima dies tibi sit *natalis* in omnibus annis,
Ut *Phœnix* vitam sis renovando *novam*.

21.

Natalitium
Joanni Aridopanio amico.

Tu *siccum panem* benedic venerande *Ioannes*,
Nam sine te nimium durus & asper erit.

22.

Simile.

Sisne *Evangelicus*, vel sis *Baptista*, latet me,
Sis sed uterq;, nihil quod remoretur, erit:
Sic tibi multa *salus*, veniet *benedictio duplex*,

Sit *Baptiſta ſalus*, illéque *proficiat*.

23.

Minor fera præda majoris eſt, verſus ſomniantis.

Fit capra præda lupo, divitibúſque miſer.

24.

Cantores indocti & abſurdi.

Cattulus, & *vitulus* vult cantor uterque videri,
Quid cantare ſciant, paucis intellige, *diſcant*.

25.

Muſca Muſicæ propinqua.

Unâ litterulâ quia *muſca*, & *muſica* differt,
Rarus ab his vacuus *muſicus* eſſe ſolet.

26.

An muſca, vel pulex Impudentior.

Muſca pudore caret, vitra ſæpiùs *intrat* aperta,
Non facit hoc pulex, cur ita? nempe *ſalit*.

27.

Non omnia vitra viſum acuunt.

Te *vitris* uti, videas ut clariùs, inquis,
Sed *vitra* te faciunt ſæpè videre *nihil*.

28.

Nil proſunt fonticuli ſine abſtinentia.

Brachia fonticulis tibi ſunt incila duobus,
Fonticulis, qui de *fonte* bibẽre, carent.

29. Flu-

29.

Fluxiones plerumque à fluxis.

Cur tibi ſanguineo ſunt lumina tincta colore?

Fluxio quòd ſit, *ais*, ſin ita, *fluxa* fuge.

30.

Ridicula famuli ſimplicitas.

Fortè domo Dominus cauſa ſtimulante profectus
Cuſtodem famulum tunc jubet eſſe domi.
Mortiferū monet, ut caveat guſtare venenū,
Quod foret in cella, ni periiſſe velit.
Nempe cadus ſteterat dulci promulſide plenus,
Hoc herus intactum quem cupit eſſe dolo.
Ille quidem ſpondet, ſed herus vix limina tranſit,
Cùm famulum vetitæ pungit imago rei.
Noſſe cupit, quæ forma foret, quis odór ve veneno,
Mox volat in cellam, vaſáq; tecta ſubit.
Spectat, forma placet, naſo ſcrutatur odorē,
Approbat: *ignotus jam ſapor* unus erat.
Is cupidum cruciat, digitum movet ergo trementem,
Applicat, extremus vixq; madeſcit apex.
Tunc guſtat, mox quando placet, *mors* clamat *amara*,
Quàm *dulcis* mihi ſis, *bis volo*, *terq*; *mori*.

Sic totam evacuat moriendi interritus *ollam*,
Factáque mors saturo *dulcis*, *amara* facit.

31.

Fames optimus coquus est.

Jejunus stomachus vulgaria fercula condit,
Accedens faciet delicioſa labor.

32.

Filius novercam excusat.

Non possum, *mala* quòd faciat, culpare *Novercam*,
Sed *bona* de nostris, quòd facit illa *bonis*.

33.

Pauperibus religiosis in jejunio caseus deficit.

Instruxit modicus jejunia caseus antè,
Fit magis hoc, quia nunc desiit ille dari.

34.

Nullum affectus vincit paternum, nisi maternus.

Prima *patris* brevis est, longa est in carmine *matris*,
Sic quoq; *matris* amor longior esse solet.

35.

Mors omnibus propinqua est.

Hic matrem, ille patrem, is fratrem, dolet ille propinquum,
Omnibus at *mors* his *una propinqua* fuit:

36.

Acatholici novum Calendarium pertinaciter reijciunt.

Cur nova religio placet, & nova displicet æra?
Nempe *vetus* vobis plùs adamatur *homo*.
Vel
Nempe *nova* placet in *carne vetustus homo*.

37.

Reformatio fidei secundùm Evangelium Lutheri.

Martini renovata fides jejunia tollit,
Tollit Martini secta flagella, cruces,
Organa sed Bacchi, sed *Martinalia* servat,
Sic sibi *Martinus* convenienter agit.

38.

Falsum est, præcepta Decalogi cum divina gratia servari non posse.

Præceptum decuplum qui non servabile dicis,
Mentiris, nisi fur, leno, latro, nebulo es.

39.

Lutherus Apostolus videri vult, sed Apostata fit.

Quàm modicum deest, Martinus *Apostolus* esset,
Nam nova cùm docuit dogmata, *Apostata* fit.

40.

In eundem.

Ex tabulis præcepta decẽ vir ſuſtulit unus,
An non ergò *latro*, & *fur* decumanus erat?

41.

Idem mundum calcat.

Mundum calcavit Martinus Apoſtata, ſepta
Dum ſacra tranſiliens *calcat utroque pede.*

42.

Idem contra vota uxorem ducit.

Vota Deo fecit, caro fortior illa reſolvit,
Appetit illicitos cum muliere thoros.
Vult augere gregem, ne *Paſtor* inutilis eſſet,
Ut *Pater* id fecit, *multiplicavit oves.*

43.

Martinalia *ab Acatholicis ſanctè obſervantur.*

Martini ferîas, & *Bacchanalia* ſervant,
Sic *ſacra Martini* gens *ſua feſta* colit.

44.

Sectarii ad ſuum Magiſtrum fidei facilioris authorem.

Nos Martine *viam facilem, ducíſque* docéſque,
Deſcenſus facilis cùm ſit *ad ima ſtygis*,
facilis deſcenſus averni.

45. Cal-

45.

Calvinus temerarius Evangelii reformator.

Sacrilegos formas, dum Sacramenta reformas,
Cúmq; novator eras, tunc veterator eras.

46.

In Eundem.

Cælum & terra perit, sacra littera nulla peribit,
Ergo reformator forma periúque nova.

47.

Novationes plerúmque damnosæ.

Quotidiè nova cùm formant, rursúsque reformant,
Res firmâ formâ publica nostra caret.

48.

In annonæ flagellatores impios.

Annónam pauci lucro stimulante flagellant,
Ferre sed heu debent millia multa crucē.

49.

Ambitio dominandi damnanda.

Esse Monarcha cupis, domineris ut omnibus unus,
Evenus regnum, rex ita solus eris.

50.

Rex aſinorum.

Saul factus Rex eſt, *aſinos* cùm rexerat antè,
Officium Saulis ſemper at iſte facit.

51.

Pyratæ aſtu nautæ deluſi.

Cùm fallax ſecum traheret pyrata carynas,
Indoluit durum nauta ſubire jugum.
Quid faceret? terebrâ cavat imo in ventre foramen,
Quo *ſalſum* recipit pervia cymba ſalum.
Cúmque gravatus aquâ venter turgeret amarâ,
Heu ſocii! clamat, mergimur, Inſtat aqua.
Contremuêre novâ pulſi formidine fures,
Spe, duce, conſiliis, ordine, mente carent,
Denique conſcendunt reſoluto funeceloce,
Præcipitíque ſibi conſuluêre fugâ.
Solus nauta metum fatuorum ridet inanem,
Et rimâ clausâ lætior haurit aquam.
Nec mora, dat ventis velum, patriámque revi ſit,
Naufragus in ſicco turpiter ille *fugit*.

52.

Floriſius multa ſcripta portat, ſed pauca laborat.

Sæpiùs accedis ſcriptis oneratus ad aulam,

Portando ſudas, tam grave pondus habes.
Sed quia, quod *portas*, id ſemper & inde *reportas*,
Quò fers *plura*, probas expediiſſe *minus*.

53.

Ars, Mars.

Non unica littera facit Doctorem.
Littera ſola facit, *Mars* ut ſit longior *arte*,
Sed non *Doctorem* littera ſola facit.

54.

Militibus mors tergori hæret.

Mortem, vel *martem* diſtinguit littera ſola,
Tam ſunt militibus *vitáq*; *mórſque* prope.

55.

Miles timidus ante pugnam tremit.

Cùm ſtarent acies in bellũ utrinq; calentes,
Tyro ibi primùm hoſtes aſpicit, atque *tremit*.
Dic, ait ad ſocium, quid ſit, quod corpore tantum
Palpitat humano? *cor*, *animus*q;, ait is,
Ille refert, bona res, toto ergo *corpore cor ſum*,
Omnia membta tremunt, *Plenáque ſunt animo*.

56.

In Eundem.

In toto, quòd ais, bone vir ſi *corpore cor es*,

Undique fata time : cor quoq; retrò geris.

57.

Idem.

Cuſtodi fugiendo pedes, ſi nil niſi *cor* es,
Læſio parva *pedis* res *capitalis* erit.

58.

Jactantia vana roboris.

Te benè, quòd tua gens excellat *robore*, jactas,
Nodoſum quia te plùs ſatis eſſe patet.

59.

Severus Juſtitiæ cultor.

Non ſemel *acta* tibi leviter, neque *viſa* probantur,
Acta, reacta cupis, *viſa reviſa* placent.

60.

Judex iniquus cauſas ſuſpendit.

Judicium judex nimium *ſuſpendit* iniquus,
Quàm meliùs judex *pendulus* ipſe foret.

61.

Miniſter bonus.

Parce *minis*, benefac miſeris, inopiq́ue *miniſtra*,
Conſule juſta, ita cum laude *miniſter* eris.

62.

Aliud.

Sæpè *minis terres*, malus ergo *miniſter* es aulæ,

Ista minus te res sed facit esse bonum.

63.

Cansidicus in longam noctem recessum extendit.

Ut causam dicas, non *lux* tibi sufficit *una*,
Nec fit causa tamen *clarior* inde tua.

64.

Oleum iniquitatis Judicia pervertit.

Est *aqua pura bonæ* est *oleum* nota *litis iniquæ*,
Ungit id, & leve cùm sit, superinnat *aquæ*.
Sic liquidam causam quoque causa trium phat iniqua,
Est *levis*, & si pars *ungit*, ubiq; suprà est.

65.

Consul inconsultus.

Consul es, & satis est, nam si sapientior esses,
Innc quoque *consultus*, quod modò non es, eras.

66.

Consiliarius mutus.

Si peto *consilium*, tu muta *silentia* præstas,
Officii partem nempè *silendo* facis.

67.

Simile.

Sapientiæ titulus insipientibus non convenit.

Non *sapiens* dici, sed dici *Avemus* optas;

Con-

Conveniens titulus, non, ais, ille mihi eſt!

68.

Rex Darius gynecæo exercitûs ſui robur oſtentat.

Non benè fœmineum ſtatuit pro judice ſexũ,
Quiſquis vult *vires* ſignificare ſuas.
Si *vir es*, ecce *viros*, agitur tam ſeria *vi res*,
Tam tener in bellis arbiter eſſe nequit.

Vel

Non decet *in bellis*, *imbellis* ut arbiter eſſet,
Belli judicium gens malè *bella* facit.

69.

Udo bona Eccleſiaſtica diſſipat.

Cùm nuper famulæ dotem daret Udo Sacerdoc,
Fœminei generis dos ſacra facta fuit.

70

Amicus ingratus hoſtes diligit, amicos odit.

Hoc *ex lege* facis Chriſti, quòd diligis hoſtes,
Quandò bonos vexas, id ſine lege facis.

71.

Præſtat malè impenſum tempus lugere, quàm de præſenti lætari.

Exoriente *novo* gaudere ſolemus in *anno*,
Sed præſtat *veteres* condoluiſſe *dies*.

72. De-

72.

Debitor morosus solutionem protrahit.

Lentule, cùm per se satis ipsa *solutio* longa est,
Tu, quia non solvis, *longior* ut sit, agis.

73.

Germani milites ad Gallos propter felicem velitationem immaturè exultantes, & paulò post ad Luzaram justo prælio victos.

Gallia, Cælicolũ *Dominæ* tam pauca *potenti*
In Regna Hesperiæ mittere signa cave.
Non operæ pretium fuerit, prohibétque decorum,
Tam *magnam matrem* nil nisi *magna* decent.
Sex decies modò de vobis vexilla tenemus,
Virginis assumptiæ quæ dedit alma dies.
Hoc operæ pretium: hoc devotio nostra requirit,
Cum vestris *unus nuntius* ista ferat.

74.

Germani militis virtus.

Unus Teuto decẽ gallos, & quinq; fugavit,
Ex *salica* paditis Lege fuêre boni.

75.

Jactantia stolida veritati & virtuti cedit.

Grandia verba facis, si grandiloquentia grandem Hi-

Hiſpanum faceret, par tibi nemo foret.

76.

Virtus Germana operatur, non gloriatur.

Grandia facta probant, quæ ſit *germanica* virtus,
Verba volant leviter: fortia facta *valent.*

77.

Barbari prædonis cognomen Furciferi Fortunæ conveniens.

Conveniunt perſæpè ſuis data nomina *rebus*,
Quàm benè tu ſimili conditione fores,

78

Vindicta Barbara captivi.

Durus captivum Dominus dum ſævit in Afrum,
Illius atroces provocat ira minas.
Vulnus alit taciitè, premit altum corde dolorem,
Denique vindictæ ſed patefacta via eſt.
Fortè domo diſceſſit herus cum matre, relictâ
Cum famulo ſobole, quæ fuit una, domi.
Concitus hanc Afer furiis Tygris involat inſtar,
Hoſtia tu mihi ſis juſta doloris, ait.
Nec mora, cùm Dominum redeuntem ad limina vidit,
Se procul ex ſpeculis obiiciebat hero.

Una manus puerum, ſtrictum tenet altera ferrum,
Tunc ferus inclamat, voce minante virū,
Dure Tyranne, tuos hæc vindicet hora furores,
Barbariem gladius puniat iſte tuam.
Multa tuli malefacta miſer, dominatus acerbè es,
Et pietas noſtri non fuit ulla mali.
Nunc ſatis ipſe lues, hoc enſe necabo puellū,
Ni ſubitò mutiles genva, manúmque tibi.
Ingemuit genitor, pueróque, ſibíque poposcit
Cum lacrymis veniam, nil agit ipſe tamē.
Uitcur inde minis, magis aſperat ira ferocē,
Fac citò, fac clamat, vel puer enſe cadet.
Heu quid amor facit omnipotens? ut viveret infans,
Denique membra pater præſecat ipſe ſibi.
Sic mutilus ſperat pueri reluiſſe ſalutem,
Sed fuit (heu) cū ſpe *tantus* inanis *amor*.
Nam neque ſic iras deponit perfidus Afer,
Sed puerum necat, & mox ſuper ipſe ruit.
Latro cruente niger, te debita præmia ſpectant,
Orcū jure tenes, non *homo*, *dæmon* eras.

79.

Pauper centurio.

Unum perſequitur, *centum* capit Irus egenus, Sic

Sic homo *centoſus* fuerit *centurio* jure.

80.

Urſus puer mores incultos ſibi exprobranti ſalsè reſpondit.

Non benè *formatum* qui me reputaverit *urſum*,
Me *lambat*, melior dum mihi *forma* venit.

81.

Proſper alteri terreſtrem ſponſam cedit, & ſe ad Monaſteriumrecipit.

Quæ tua *proſperitas*! præfers æterna profanis,
Dum *ſponſam cedis*, parta *corona* tibi eſt.

82.

Crabronius ſecum loquitur.

Tecũ multa loqui ſolitũ ſine teſtibus, aiunt,
Auditor nebulo ne modò prodat, age.

83.

Chriſtophorus conſilium ad Religionem ſe recipiendi inconſtans mutat.

Vivere Chriſtophorus voluit cum paupere Chriſto,
Caſtráque *Franciſci* religioſa ſequi.
Mutatus ſubitò mundum ſectatur inanis,
Ciſtam mercator tergore portat onus.
Litera ſola facit, ne ſit, quod debuit eſſe,
Chriſtophorus fuerat, ſit modò *Ciſtophorus*.

84. Im-

84.

Importunitas nocturni pulicis.

Importune pulex, roſtro quàm pungis acerbè,
Mordes nec *latras*, pejor es ergo cane.

85.

Caupo aquâ vinum diluit.

Caupo merum liquida generoſum diluit undâ,
Vult ſibi cum *Baccho* fructificare *Thetin*.
Culpanti, quòd aquâ corrumpat nobile vinum,
Hoc negat, & *melior* ſic aqua *fiet*, ait.

86.

Clælia nomen Religioni dare volens non recipitur.

Cœnobio voluit ſacro dare Clælia nomen,
Sed fecit *prægnans* cauſa, *gravíſq;* morâ.

87.

Cauſa pia non ſemper piam cauſam fovet, extemporaneum

Impia cauſa capit, quod pia *cauſa rapit*.

88.

Ducis otioſi negotium.

Quid o o - o facis? ſedem volo figere belli,
Dicis, te capio, jam nihil ergo facis.

89. *Cun-*

89.

Cunctator nostri temporis noxius.

Cunctando Fabius *Romanam restituit rem*,
Nostro non nemo tempore plura facit.
Non hostes solos, idem quoque vincit amicos,
Cùm lassos belli *fœdus inire* premit.

90.

Illiberalis heri parca manus familiam defraudat

Nõ *immensa*, minus sed ponis fercula *mensa*,
In mensam mensam da magis ergo *dapem*.

91.

Epitaphium Illustrissimi Domini Comitis Kurzii ultimi sui nominis & Stemmatis.

Siste Gradum.

Momentum *breve* vita fuit, stirps, nomen, honores,
Præcipiti Parcâ mors *brevis* ipsa fuit.
Omnia dispereunt, sed ut *immortalia* durant,
Raptus ad astra *comes* desiit esse *brevis*.

92.

Assentatio mala, invidia autem pessima.

Assentatorum genus approbat omnia, talis,
Ut non sis, nunquam tu bona facta probas.

93. Of-

93.

Officia plùs licitanti malè venalia sunt.

Non feret is *munus*, qui feret ære *minus*.

94.

Darius judicio fœminarum magnus
Rex declaratur.

Cùm cupis *omnipotens* dominator in orbe videri,
Judex fœmineum debuit esse genus.
Vota tenes: tenero vocat ore Diana *potentem*,
Magnus gallinis visus es esse tuis.
Ergo potens in *corte* tua es, sed *corde* pusillus,
Cynthia dum *magnum* te putat, *umbra tua* est.

95.

Rogerius Cæsareensem mitram dignissimus capit.

Programma.

Rogerius.

Anagramma.

Erigo Rus.

Cæsarei vacuum *rus* impiger *erigo campi*,
Quàm latas, superi! spondet agellus opes.

96. Co-

96.

Cognomen Monachi *virtute confirmatur.*

Non malè conveniunt *Monachi* cum nomine *mores*,
Fiet, ut *antistes* te *Monacensis* amet.

97.

Leo antè Doctoratûs gradum theses publicas cum laude defendit.

Fortiter in campo certâsti more *leonum*,
Palma tua est, *num* nunc faciendo *gradu*.

98.

Fortuna latro rotæ supplicio adjudicatur.

Ad mortem damnata fuit *Fortuna*, rotámq;
Hanc vitam talis *sors*, *rota*, *fata* manent.

99.

Una die Papa & Cardinalis cognomine tales vitæ inordinatæ virt moriuntur.

Cardinalem mors, simul atque *Papam*
sustulit summis, minimísque justa
falce percussos, licèt *ordo* neutri
debitus esset.

100.

Mœcenati natalizanti.

Natalem Franciscè tuum celebramus ovantes,

Qui

Qui meritò dignus candidiore notâ eſt.
Is tibi dat vitam, ſed mille clientibus idem,
Fortunæ pariter fons & origo fuit.
Ergo perenne fluat tam dives vena favorum,
Sit tibi *prima* omnis, nulla *ſuprema* dies.

CENTURIA SEXTA.

I.

Princeps Commercius fortiſſimus heros plumbea glande trajectus, gloriosè occumbit.

Commercii tibi terra petis *commercia* fruſtra,
Das *plumbum*, gravis eſt merx, pretiúmque leve.
Aurea cautus adit cum quæſtu ſidera *Princeps*,
Nunc ibi terra *tuum* deſpicit ille *globum*.

2.

Aquila Romana ex ovo columbino Romæ nata.

Ne *geminam* poſthac *aquilam* derideat *orbis*,
Urbs illam parvo nuper in *orbe* dedit.

3. *Can-*

3.

Candor virgineus facilè labem contrahit.

Candor *virgineus niveæ* res proxima ceræ eſt,
Illotas refugit candida cera *manus*.

4.

Otium furti cauſa.

Fur nihil hic fecit, laqueo tamen, ecce pependit,
Furem fecerunt *otia*, furta necem.

5.

Siſamnes injuſtus judex decoriatur, & ejus pelle tribunal veſtitur.

Veſtiit abſtracta *Siſamnes* pelle tribunal,
Crimen *in ære fuit*, *pelle* ſed ipſe *luit*.

6.

Aliud.

De quo ſit *corio Siſamnis*, neſcio, pellis,
Sed de *corde* tamen non fuit illa *bono*.

7.

Idem.

In cute cùm *nebulo Siſamnes* maximus eſſet,
Exuit ille *cutem*, talis ut eſſe ſinat.

8.

Nihil in illo cute melius.

Quòd cute nil meliùs fuit in *Siſamne*, probatur;

Nam

Nam sacra Justitiæ facta cathedra fuit.

9.

Idem.

Quomodò *Sisamnes* judex reputatur iniquus ?

Cùm cute Iustitiam vestiat ipse suâ ?

10.

Semiramis Regina Babiloniæ conditrix, formâ & fortitudine rarum in muliere exemplum.

Non te *forma* modò Regina *Semiramis* ornat,

Semimaris generis te quoq; *facta* probant.

11.

Cajus ex Studioso miles cum ignominia exauctoratus.

Cajus an non est homo *litteratus*?

Primus aspectus tibi rem revelat,

Litteras ferro quia fert calente

fronte notatas.

12.

Domini Sclopomontani Mœcenatis Elegiæ respondet vates, & natalizanti gratulatur.

Dux veterane tuas liceat celebrare sagittas,

Quas tibi germano pectore fixit amor.

Ingeniosus amor ! Jaculis quam certat acutis ?

Tangunt, non lædunt cor tibi, córque mihi:
Nam quot tela Ducis transfigunt pectus amati,
Tot ſunt militibus vulnera facta tuis.
Provocor: Ergò retro vibrata retorqueo tela,
Et quæ torſit amor tela, retorquet amor.
Natalizanti ſacra ſpicula mitto *Sebaſti*,
Quæ cogant *Parcæ parcere* tela diù.

13.

Eidem.

Dic! quo *collimas*? Ad *montẽ* dicis Olympi,
Rectè, nam *ſcopulos* non habet iſte *ſcopus*.

14.

Amicum afflictum ſolatur.

Quæ torſi, minimè tibi noxia tela fuêre,
Non ita, quæ regeris, tela dolore carent:
Cor tibi, cor tangunt eriã miſerentis amici,
Quamvis ſis *jaculis* unicus ipſe *ſcopus*.
Sed nè cede malis: contra ictus *ferreus* eſto,
Si *patiens* fueris: *paſſio* nulla nocet.

15.

Domino á jucundo amico.

Jucundum terras habitare! beatius aſtra,
Jucundus non hìc, aſt ibi ſemper eris.

16.

Epitaphium Florentinæ.

Siſte Gradum.

Florentina fui, *flore* mors improba carpsit,
Transplantata tamen sic super astra fui.

17.

D. Fossario Poëtæ præclaro.

Nocte diéque fodis divini viscera Pindi,
Scis, quòd in his *fossis aurea vena* latet.

18.

Ad funus ita dicti fossatoris.

Mortuus est nuper *fossator* nomine, nunc re,
Fossam fossator jam replet ipse suam.

19.

Violanta dum flores legit, turpiter cadit.

Dum *violas violonda* legit, *violata* redivit,
Dúmque *rosas* quærit, perdidit illa *rosam*.

20.

Domino de mutis amico.

Elinquis non es, satis es sed amice disertus,
Te fieri *mutum* sidera serò sinant.

21.

Mydas avarus habet aures asininas.

Cùm sit cunctarum regina pecunia rerum,
Te regem, quia tam dives es, esse putas.
Sed quia Reginā tenebrosâ claudis in arca,
Sordidus es custos *Carceris Arcadii*.

22.

Pilobonus nomen moribus inconveniens habet.

Cur *bonus* iſte *Pilus* ſine re fert nomẽ inane?
Nam *pilus* ecce *pilum* non habet iſte *bonum*.

23.

Aliud.

Pulchrum nomen habes, caret hoc tamen *omine*, *nomen*,
Calvus fronte *pilo* nam caret ille *bono*.

24

Vana ardelionis jactantia.

Jactas ardelio, quòd poſſis vellere quercus,
Velli fronte *pilum* nec tibi poſſe *bonũ*.

25.

Amico non perſonâ, ſed nomine longo.

Non es perſonâ, ſed ſolo nomine *longus*,
Longior ut fias, det tibi ſerò Deus.

26.

Iudæus rerum furtivarum redemptor punitur.

Lazarus Hæbreus bona rapta à fure redemit,
In cute fur furtum, Lazarus *ære* luit.
Bis baptizatus fuit alter, ſanguine etundâ,
Hic *circumciſus* bis fuit, *ære*, *cute*.

27.

Mors nulli parcit.

Defunctus *comes* eſt, nemo *comitatur* eum
tem,

Dux tamen ille mihi, *Dux* tamen ille tibi est.

28.

Ovidius Naso in exilium mittitur.

Cùm fugeret patriis *Naso* miser exul ab oris,
Nemo *comes*, sed ei pro *duce nasus* erat.
Er muste allein mit der langen Nasen abziehen.

29.

Qui non laborat, non manducet.

Echonicum.

Absque *labore* tibi fugiet quoque panis *ab ore*.

30.

Eva *peccatum parat*, Adamus *plantat*.
Præparat *Eva malum*, dum carpit ab arbore *malum*,
Dum comedit, stabili semine *plantat Adã*.

31.

Suevi ad alias nationes timiditatem Leporis antiquo joco sibi obiicientes.

Dum lepores timidos nos mordax lingua vocâsti,
Ex morsu patuit, *labra fuisse canis*.

32.

Idem.

Continuò patuit, quòd adesset † *odora canum vis*,

Cùm timidos lepores, nos mala lingua vocat.

† Hunds Naß.

33.

Austria exteris bibacitatem sibi exprobrantibus.

Obiicitis nobis charas pro more lagenas;
Et quia diligimus dulcia dona botri.
Hæc bona sunt patriæ, sunt mitis præmia Bacchi,
Ingratus, nisi cûi *gratia grata* foret.
Denique pauca capit, nec res est magna lagena,
Excitat accensam, non domat illa sitim.
Vos sed quos memorem? procul ad nos indè profectos,
Cum vastis *doliis* nos superare *dolo*?
Non vos sicca sitis, mensura minutáve purgat,
Dolia queis faciunt sæpè *dolere* caput.

34.

Tyrolis exteris ingenii tarditatem exprobrantibus.

Quadraginta annis *sapimus*, notoria res est,
Ignotum est, sed quo tempore vos *sapitis*.

35.

Bavaria aliis porcinam immunditiam opponentibus

Pungere cur Bavaros dictis temerarius audes? Lu-

Ludibrióque *suum* vituperare *genus*.
Grunitus pudeat cur nos audire frequentes?
Ruditus alii tam quia sæpè ferunt.

36.

Donum avari rarum, sed amici pretiosum.

Panis hic est *rarus*, quem vir tibi donat *avarus*,
Sed minor est *micâ*, quam dextera donat *amica*.

37.

Salisburgi salus ab alto.

Montem custodi, tunc mons custodiet urbẽ,
Nam venit à *summo* vertice *summa* salus.

38.

Qualis Rex, talis grex extemporaneum.

Posterior quid ager, si *prior* illa facit?

39.

Votum venerabili viro Conventûs Seniori factum.

pariter extemporaneum.

Sat, *senior* quòd sis, tua *tempora cana* revelant,
Tempora nunc *facient* ex *seniore* senem.

40.

Laus propria sordet.

Quòd tua quotidiè recitas encomia, laudo,

Nam ſine te nulli talia nota forent.

41.

Idem.

Quòd toties ſtreperus præconia propria cantes,
Fit benè, *difficilis* nam ſolet eſſe *fides*.

42.

Idem.

Credo *tibi*, bona dum memoras mihi plurima de te,
Sed vult, cùm refero, credere nemo mihi.

43.

Jactantia vana fidem non invenit.

Tu mihi quotidiè memoras bona plurima de te,
Sed mea dum refero, ſunt ſine, dicta, fide.

44.

Ars de nocte æquè clarè ac de die videndi.

Te dicunt, æquè de nocte, diéque videre,
Nam nihil ut videas, crapula longa facit.

45.

Pius *non eſt*, *quiſquis mitis & juſtus non eſt.*

Si *pietas patiens*, *indulgens*, atq; *benigna* eſt,
Dic, qualis tuus eſt cenſor acerbe rigor?
Cùm toleras corvos, vexálque rigore columbas,

Vix

Vix benè conveniunt nomen & acta *Pii.*
Est *pietas* mitis, suavisque, nec aspera, dura,
Sis *pius*, ut *Pius* es, si cupis esse *Pius.*

46.

Constantia Podamica Hornium, *id est*, Cornelium *Ducem Suecum fortiter repellit.*

Pro Domino stetit, ut decuit *Constantia constans*,
Hinc Sueci *cornu cornua* fregit ovans.

47.

Veneti urbem Coronam in Morea capiunt.

Hâc, quam fert *Venetis* devicta *corona* coronam,
Major *muralis* nulla *corona* fuit.

48.

Ratisbona *Hæresis labe deformatur.*

Arate vel *ratione bona* fert inclyta nomen,
Ast ea, quæ *bona* sunt, non *rata* tempet habet.

49.

Calceorum fur nudis pedibus in furcam agitur.

Cùm nudis illuc pedibus, quò tendis, eatur,
Cur tot *calceolos* improbe prædo rapis?

50

Ridiculum furtum.

Subdolus empturum simulat se prædo co-
thurnos,
De pretio quærit, de bonitate rei.
Utque sciat, pedibus merxā foret apta duob'
Ambi- ambos ambit dexter utrinq; pedes.
Sutor ut expectat pretiū, fugit ocyor Eurō
Fur, opifex sequitur, nec tamen assequi-
tur-

51.

Necessitas furem facit.

Nemo *manus* putet huic *longas*, *digitósve*
fuisse,
Sed *perfectè aptos*, *præcipitésque pedes*.

52.

Non tantùm Regibus, sed etiam longæ dicuntur furibus esse manus.

Cùm multas manicas fur diripit improbus
unà,
Par longis digitis *par* reperire studet.

53.

Verba amo & amor *infinitudinem amaritiei minantur.*

Unus *amare*, altérque infinitivus *amari*
Suspectum meritò verbum *amo* dant &
amor.

54.

Amor nomine & amor verbum utrúm-cavendum.

Vox *amor* est *verbum*, simul est variabile *nomen*,
Declinare potes, sed non *conjungere* tutò.

55.

Vir caput uxoris.

Cùm *caput* uxori vir diceret esse *malignum*,
Verum ais, illa refert: nam *mihi tu caput es.*

56.

Rara res est uxor perfecta.

Nulla placet, nisi, quæ teneat P *quinque* puella;
Sit *pia*, sit *prudens*, *pulchra*, *pudica*, *potens*,
Sed talem reperit, quem Iuppiter æquus amârit,
Sensibus ergo tibi consule *quinque* tuis.

57.

Mater uno partu tres filios edit.

Tres peperit genitrix uno conamine natos,
Et tamen hos *geminos* nemo fuisse putet.

58.

Salviæ herbæ pretium.

Salvia dicta fuit, quòd vitam *salvia* salvet,
Ergo tu *salve salvia* chara mihi.

59.

Virginitas rara fera est.

Cur adeò capta de virginitate triumphant,
Cùm sponso assensum dat neo-sponsa suo?
Ut teneram, gaudet, volucrem cùm decipit auceps,
Sic quoque virginitas est modò *rara fera.*

60.

Epithalamium in nuptiis Damnelii amici.

Ad Sponsam.

Si perdat *Damnum*, foret irreparabile *Damnum*,
Ergo sit, ut non sit *damnificata* diu.

61.

Mater Barbetij filium enixa ænigma proponit.

Nata fuit, crevítque diu mihi *Barba virilis*,
Et fuit hæc longo tempore nuda pilis.

62.

Pugna politica verbi activi & passivi.

Passivum movet activo de voce querelam,
Nomina cuî faveant, *inferiora* timent.
Quidam *neutra* colunt, sed lædit *neuter utrúmque*,
Nec placet, ambobus qui placuisse studet.

Tempora tu prudens observa, & *anomala* præfer,
Sed cave *deponens*, & venerare *Regens*.

63.

Lurco unico puncto nomen suum exprimit.

Hic sine litterulis proprium scit scribere nomen,
Nempè facit *punctum*, *nomen* habétque *suum*.

64.

Logogripbus.

Os omnia rodit, & *nutrit*.

Cuncta *voranda voro*, nutriendáque nutrio cuncta,
Serta caput *redimunt*, pro pede *vipra* jacet.

65.

Contumacia subditorum moderatâ multâ compesci debet.

Res *operas operosa* nimis præstare colonis,
Ni faciant, *peras* pandere fiet *opus*.

66.

Malus medicus non deserit ægros, sed deseritur.

Te vocat ægrotus: desiderat ille *valere*,
Mox dicit tibi, cùm nil agis, ipse *vale*.

67

Venerabilis senex Pascha laboriosus vir est.

Nul-

Nullas *Pascha* facit *ferias*, dum vivit, ut ipsi
In cælo *ferias* post sua fata paret.

68.

In ejusdem nomen grammaticalis lusio.

Mammomam hic non *Pascha* petit,
sed jungere *Manna*,

69.

Simile, in amorem habendi & gulam.

Nec avarus, nec ebrius Regnum Dei consequentur.

Mammonam petit hic, petit hæc cum *nectare Bacchor*,
Tu juvenis *vates neutris* adscribito *Manna*.

70.

Pastor ebrius scandalizat populum.

Nostei amat *bibulum*, non curat *Biblia Pastor*,
Non *aram*, sed adit sæpè *subulcus haram*.

71.

Qui non audit magistrum, sæpè debet audire carnificem
In immogerum.

Admonitus frustra est, ut *pareat* ille Magistro,
Ergo carnifici *par eat* ille modò.

72. *Hyp-*

72.

Hyppocrita ingluviem temperantiæ pallio frustrà tegere nititur.

in belluonem.

Nunc sunt, cùm vomitur, *jejunia causa* vomendi,
Si vomuêre *patres*, crapula causa fuit.

73.

In Eundem.

Causa tui vomitûs fuerant jejunia nuper,
Nunc non jejunas, cur tamen ergo vomis?

74.

In alieno piscari vetitum.

Sunt benè vel licitè *quæsita*, repertáque nunquam
Tunc bona *vicino quæsita* sunt in agro.

auff der vngekehrten Banck.

75.

Non omnes, quæ sua sunt, quærunt.

Omnes, quæ sua sunt, quærunt, cupiúntque lucrari,
Excipio furem, fur aliena rapit.

76.

Turpis est omnis avaritia, sed turpissima eorum, qui liberis carent.

Prole carent multi, tamen inveniuntur avari,
Nempe famem totam *Posteritatis* habent.

77. *Asi-*

77.

Aſinus Chriſti ad ſuos comilitones.

Me ſolum vetères aſinum dixêre beatum,
Quòd dorſum licuit ſuppoſuiſſe Deo.
Vos etiam ſocios video nunc eſſe beatos,
Quòd vos magnatum ſæpè cathedra ferat.

78.

In garrulùm ardelionèm.

Dat nulli tempus tua garrula lingua loquendi,
Semper & inſtabilis geſticolator agis.
Sis mola, nam nec eges, ut flante agiteris ab aura,
Cùm ſemper *vento* ſit tua bucca tumens.

79.

Irrationabilis furor fratris in ſororem gravidam.

Quis furor eſt, gravidam quòd vis mactare ſororem,
Vitam hominis *rapias tu*, quia *natus homo* eſt?

80

Caja artis arcanæ magiſtram profeſſa publicè deprehenſa fuit.

Artis *privatæ* ſe dicit Caja magiſtram,
Ars *privata* quidẽ, *publica* Caja ſed eſt.

81.

Feriator laborioſus.

Æni-

Ænigma.

Diceris à *feriis*, quamvis sine fine labores,
Sed *ferias* ut agas, *nullus amicus* avet.

82.

Patri bis filius octavo loco natus moritur. ænigma

Ter septem faciunt viginti atque insuper unum,
Hìc fecêre novem: dic modò quid faciant?
Non faciunt ultrà septẽ, cur calculus errat?
Mors duo subtraxit, *multiplicante Deo.*

83

Mulitudo potentûm noxia.

Corporis est *Princeps caput* inviolabile primum,
Ex tot *Principibus* dic mihi, quis *caput* est?

84.

Judex iniquus, licet caput continuò quatiat, tamen munera non spernit.

Munera non spernis, quatias cùm tempora semper,
Scilicet *affirmas*, bis ita quandò negas.

85.

Benè merito præmium injustẽ negatur.

Præmia nulla capit, meritum licet esse fatentur,
Quid regeret do, das, nescius ille fuit.

86. Con-

86.

Contractus innominatus

do, ut des, facio, ut facias. noſtro tempore frequens.

Crebrò ſolet tacitum fieri ſine nomine pactum,
Nil do, ni *pariter des* mihi, vel *facias*.

87.

Incerta certis non ſunt præferenda.

Spem cave fallacem tutæ præferre quieti,
Eſt aliquid, quod habes, non quod habere potes.

Der Habich iſt beſſer/ als der Hettich.

88.

Barba cujus generis?

Barba virile decus moribus cùm propria res ſit,
Fæminei generis quomodo facta fuit?
Nempè virò rapuit quia nuper *Barbara barbam*,
Hanc *juris* fecit tunc violenta *ſui*.

89.

Carmina ſine ingenio non ſapiunt.

Carmina ſunt verſus, ſed verſus carmina non ſunt,
Hi ſi metra forent, carmina verba forent.

90. Bar-

90

Barba non facit virum.

Longa virum si barba facit, tribuítque decorem,
Tunc caper hirsutus sartor honestus erit,

91.

Termarum Gasteinensium præstantia.

Frigida cum calida salit uno ex marmore lympha,
Marcidulásque calens erigit unda rosas.
Sic opifex rerum flammam sociavit & undam,
Cum duro liquidum, cúmq; calore gelu.
Quod supereſt, referunt multi ex hoc fonte *salutem*,
Tu, *cui multa salus* obfuit, indè bibe.

92.

Lupulus res levis & gravis.

Nil *levius lupulô*, sed cùm maceratur in undis,
Nil solet epotum tam gravidare caput.
Sæpè solet magnas idem quoque tollere rixas,
Tunc *lupulus* potis incipit esse *lupus*.

93

Tympanorum pùlsatio ænigmatica.

Ligna cadunt subitò, bos mugit, & æra resultant.

94. Poë-

94.

Parnassi fructus.

Præmia plura parat *Pindi* petra pulchra *Poëtis*,
Pennæ Parnassi pervia Porta patet.

95.

Poëtæ bibuli votum.

Cancrino versu.

O remane *vati* dedita vena mero.

96.

Poësis non est de pane lucrando nostro ævo.

Pariter carmine merè cancrino.

Metra repentè refer, mannam referétne per artem?
Metra repentè refers, annas referétne per artem?
Metra repentè refer, massam referétne per artem?
Metra repentè refer, massam referétne per artem?
Metra repentè refer, mappam referétne per artem?
Metra repentè refers, aras referétne per artem?

97. Mi-

97.

Miles germanus Marti vitra dedicat.

Simili verſu.

Ore fero Marti, vi vitra more fero.

98.

Feriatori otioſo.

Nequis inane tibi nomen reputaverit eſſe,
Continuas *ferias* convenienter agis.

99.

Ad Amicum.

Commendatio indigni amico digna non eſt

Ne *potum* ſtudeas mihi commendare *nepotem*,
Mitte *tui* ſimilem, diſſimilémque *ſui*.

100.

Vicinus glandes roganti denegat vicino.

Ipſum, quas petii, dicis te glandibus uti,
Non pro me petii, *tu potes* ergo *frui*.

CEN-

CENTURIA SEPTIMA.

I.

Invidus alterius laudi obtrectat.

Ad Zoilum.

TAm capio, quòd olent tibi non benè lilia noſtra,
Non ſunt ex hòrto ſcilicet illa tuò.
Grandius uber habent aliàs armenta propinqui,
Tam mihi ne *grave* ſit, tu *minuendo* facis.

Vel.

Grandius uber habent ſemper, jumenta propinqui,
Sic quoq; noſtra *levis* ſit tibi vena *gravis*.

2.

Modus mundi informis

Formam non ſervare eſt *forma* noviſſima mundi,
Aulice dic ergo, quæ nova *forma* modò eſt?

3.

Studioſus rudis multis libris aſinum onerat.

Tri-

Triginta libris onerat studiosus *asellum*,
Est *asinus major*, fert tamen ipse nihil.

4.

Studiosus pauper restio fit.

Ad *restim* tua res rediit miserabilis *Ire*,
Restio fis modò, qui tunc *studiosus* eras.

5.

Asinus non capit præmia.

Nunc studiosa manus pro lauri munere certat,
Qui *plus fert* aliàs, hìc feret ille *minus*.

6.

Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

Præmia dicuntur, capiunt quia *præmia primi*,
Hinc *primus* nisi sis, *præmia* nulla capis.

7.

Vis carminis in acumine consistit.

Qui *certare* volent ex carmine, pungere debent,
Nam benè qui *pungit*, *pangit* & ille benè.

8.

Virginitas spreta nobilibus.

Virgo vocata fuit Clara de stirpe puella,
Rustica res, ait, est Virgo: *bera parva vocor.*

9.

Responsum.

Sis ergo *meretrix*, quia non vis *virgo* vocari,
Sic *meretrix magna*, est *parva* frequenter *hera*.

10.

Qualis Mater, talis filia.

Filia fit *meretrix*, mater fuit antè *meretrix*,
Præcedit *major*, subsequiturque *minor*.

11.

Aliud.

Mater erat *lotrix*, nunc est tua filia *netrix*,
Una fuit, nunc est altera, quid? *meretrix*.

12.

Quomodo risus Itali à risu germani differat?

Fortè videns Itali simplex germana cachinnos,
Ridiculos gestus, tortáque labra viri.
Nunc Italos, ait, incipio cognoscere risus,
Et quantum à *patrio* differat *ille modo*.

13.

Regula pro indocto scriba.

Sæpiùs indoctum scribam scriptura fefellit,
Nec poterat Domini tangere sensa sui.
Ergo monebat Herus sapiens; *tibi regulæ firma*

Est,

Eſt, ut ne poſthac decipiaris, opus.
Nec mora, conſilium dat eidem *ſcribere* tutò
Semper id, errorem quod fore ſcriba putat.

14.

Mathematicus bonus de objecti ſui diſtantia queritur.

Creber hic obſervat motus & ſidera cæli,
Sed dolet *objectum* tam procul eſſe ſuum.

15.

Levitas gravitatem & gravitas infamiam parit.

Dic mihi, cur *gravis* eſt, nec habet Catharina *maritum?*
In promptu cauſa eſt, *ſat levis illa* fuit.

16.

Vietor ſenatui importunus eſt.

Deſine, non *fas eſt* hîc tundere *vaſa vietor,*
Hunc *ſtrepitum ſtreperus* vult *forus* eſſe *foris.*

17.

Pluviæ frequentes noſtras pœnitentiæ lacrymas provocent.

Cur ſine fine ruunt atris ex nubibus undæ?
Et rapidis terras obruit imber aquis?
Nimirùm quia non ſua deflet crimina *mundus,*
Flebilis in lacrymas ſolvitur ipſe *Polus.*

18.

Jocus de amici cane ad cistam vigilante.

Ad cistã vigilat canis, intus dormit & alter,
Ex custode *patet*, quòd canis ille *latet*.

19.

Intempestiva tempestatis inclementia cum casibus tam variis conjuncta finis mundi instantis prodroma est.

In *senium* proni *canescunt tempora* mundi,
Hinc rarus calor est, plurima bruma, nives.
Imminet exitium, naturæ vertitur ordo,
Summa cadunt, *surgunt infima*, *cuncta ruunt*.

20.

Inconvenientia sit conveniens.

Conveniunt simul hìc *inconvenientia* plura,
Ergo *inconveniens* est modò *conveniens*.

21.

Caii viri gravis filia uterum fert.

Vir gravis es Cai, res est notoria, sed dic,
Annè etiam scis, quòd sit tua nata *gravis*.

22.

Ancillapigra duplex horologium observat.

Horarum indiculos tenuit pigra Berta gemellos,

Unus

Unuspræcipitans, tardior alter erat.
Quàm benè, dicebat, mihi convenit unus & alter,
Is *dormire*, ſed hic me *vigilare* jubet.

23.

Pæna immerentis Diſcipuli.

In pænam ſecum rea garrula turba tacentem
Me trahit, heu ſocii, quid potuêre mali?
Nam græcũ typto debebam ſcribere juſſus,
Quando reus fueram, quæ, rogo, pæna foret!
Activum tunc in *paſſivum*, in *verbera verba*
Irent, pro *typto typtome* tunc fuerat.

24.

Gallus

homo duplex etiam in æſtate vulpinam pellem gerit.

Vulpinis mirum non eſt te pellibus uti,
Cùm glacialis hyems frigore ſtringit aquas.
Sed dicunt ijſdem pariter te pellibus uti,
Cùm calidos æſtu Sirius urit agros.
Non egeo, clamas, niſi frigeo, pelle, Polonus
Non ſum, ſed pellem vix fero ſæpè meã.
Sed fruſtrà renegas: quid obeſt, non eſſe *Polonum?*
Gallus es, & *vulpes* in *cute*, Galle, *tuâ*.

25.

Nihil incautè ſcribendum.

Qui *libros ſcribunt*, *ſcribendá*que non benè *librant*,
Mercantes fieri ſed ſine *lance* volunt.

26.

Cur Scribæ plerique ſitire ſoleant ?

Sæpè ſitire ſolent pennam calamúmque ferentes,
Hos mare, fert illos anſer, utérq; madet.

27.

Jocus retorſus.

Ex fovea quidam, conantem educere cancros
Humanam dixit, ſe retuliſſe manum.
Alter ſubiecit, caſus mirabilis iſte eſt,
Hanc qui condiderat, *furcifer* ille fuit.

28.

Pauper eques multas copias pedeſtres alit.

Multas te, dicunt, *acies* nutrire *pedeſtres*,
Cùm tamen è medio ſis grege pauper eques.

29.

Molitorem farina prodit.

Candidior molitor reliquis eſt furibus unus,
Furtum, quod fecit, detegit ipſe ſuum.

30. Mo-

30.

Molitor malus fur est,

Si bonus est molitor, bona debet & esse farina,
Si malus est, nil quàm *furfur* inane molit.

31.

Molitor seipsum suspendit.

Cùm propriis *manibus* molitor suspensus obiret,
Carnificis munus furem obiisse patet.

32.

Aulicus se parvum regem esse jactat.

Uxorem *rego*, *rex* ergo sum, ais, aulice *parvus*,
Rectè. *res uxor publica* nempè tua est.

33.

Uxor viro Zelotypo se justificat.

Esse tuos partus uxori credere non vis,
Cùm tamen hos dono sponte det illa tibi.

34.

Ad fœmineas crystas.

Multas Christinas video, paucásque *Susannas*,
Crystam, non *Christum frons* sine *fronte* gerit.

35.

Studiosi pigri querela.

Heu citò quàm rediit studiorum inamabile tempus,

Et reſpirandi quam breve tempus erat.
Semper erant pluviæ, tempeſtatéſq; ſonoræ
Quæ noſtros miſeris præpedièrè jocos.
Scilicet in *feriis* lacrymas fundebat olympus,
Nunc ego poſt *ferias*, heu *feror* in lacrymas.

36.

Ad Momum.

Carpis, quòd jungo carmen puerile virili,
Pango *virile viris*, & *puerile tibi*.

37.

Garrulitas in templo, nec juveni, nec viro decora.

In templo mirè te dicunt eſſe *diſertum*,
Nec tamen *orator* diceris eſſe *bonus*.

38.

Ruſticus filium ſubitò Doctorem creari petit.

Infundi nato doctrinam ruſticus orat,
Ut citò *Doctoris* poſſit *adire gradum*.
Rem fatuus pretio putat impetrare puſillo,
Oblato *pretio* roborat ergo *preces*.
Sed fuit *in fundum* puer à Doctore remiſſus,
Artem, ait, *in fundo* ſume, *gradúmq*; cape.

39.

Amico venerabili viro cellæ Magiſtro.

Zelus pro *cella cellæ* docet eſſe *magiſtrum*,

Sed *divina* tamen, non bona *vina* ſapit.

40.

Præſtat panca benè, quàm multa inutiliter agere.

Plurima ſemper agis, ſed agis quoque plurima ſtultè,
Tutius eſt, ut agas pauca, ſed illa benè.

41.

Germanus verba latina corrupta ſermonibus ridiculè miſcet.

Cur eadem toties eructas verba latina?
Scilicet eſt ſtomacho res peregrina tuo.

42.

Judæ pœnitentia ſumma malitia fuit.

Judam pœnituit de proditione Magiſtri,
Morte reus, dicit, ſum, ſtatuóque mori.
Dixit & appenſus laqueô ſe ſpontè peremit,
Sic *crimen* ſummum *pœnituiſſe* fuit.

43.

Clælia benè & malè audit.

Nocte procos digito pulſantes leniter audit
Clælia, quantumvis *audiat* illa *malè*.

44.

Lunaticum fœminis ſolet eſſe ingenium.

Cornua fronte gerunt, prætendunt eſſe *Dianæ*,
Hinc *cerebro crebrò* luna latere ſolet.

45.

In Martiſit aliàs litterati viri temera-riam linguam

Idem vis *Martis*, ſimul idem gnarus haberi
Artis, quem ſolum maxima Pallas amet.
Omnia traducis temerè, temerè omnia carpis,
Túque vides nævos, hos ubi nemo videt,
Sic tibi, cùm reliquis ſapias magis omnibus unus,
Tam *nemo ſapit*, ut te *ſapiiſſe* putet.

46.

Lutheranus die veneris carnibus veſcens ſuffocatur.

Adam morte luit pomi cum conjuge *morſum*,
Tu *morſum*, carnis: Tam *caro cara* fuit.

47.

Dux incautus milites ſuos in loca invia ducit.

Dux es, *Ducis* enim in calles improvidus agmen
Debebas etiam *providus* eſſe *redux*.

48.

Tabaci præſtantia.

Nõ eſt Braſſilico præſtantior herba tabacco,
Peſtiferæ melior nec medicina luis.
Eſt niger, obſcurus, paucíſq; probatur odore,

At

At fugat ille famem, mitigat ille sitim.
Sed neque vulneribus cinerem contemnẽ medentem,
Nec fumum, dentes quando capútve dolent.
Deîn quoque, cùm volucris vitæ, cùm mortis imago
Sint *cinis* & *fumus*, mens medicamen habet.

49.

Ad Tabacci amatores.

Pro signo *mortis* servire *memento* tabacum,
Sic *cinis* & *fumus*, *pulvis* & *umbra* *sumus*.

50.

Ficta virginitas.

Quàm verum est, *omnis quòd non ferat omnia Tellus*
Hîc virgo est, *meretrix Caia* ibi grandis erat.

51.

Qui se periculo committit, peribit in illo.

Fortunam sequor, & *vento do vela ferenti*,
Inquis, sed vento quid si des vela *furenti*?

52.

Idem.

Fortunam sequeris, *vento das vela ferenti*,
Heu cave! nam nescis, an *te fortuna* sequatur?

Suspectum mare sit dubiosa pericla *verenti.*

53.

Amicus de amici abitu dolet.

Qui discedenti *valedicere gaudet amico,*
Nullius est ullo tempore dignus *ave.*

54.

Nocet empta dolore voluptas.

Heu cave dulce favis mel quærere, tacta nocebunt
Alvea, *mille* ictus, sed sine *melle* feres.

55.

Carolus tertius Serenissimus Hispaniarum Rex, Archidux Austriæ &c: bonis avibus navigat.

Carolus, ut patrium regnum sibi vindicet armis
Hesperias cinctus milite tranat aquas.
Anglia dat juveni classémque, virósque potentes,
Aurifer hospitium spondet, opemque Tagus.
Hesperiis dum classis iter vicinior oris
Iam tenet, & Zephyris labitur usa bonis.
In liquidis classem suspensa supervolat auris,
Et tremulum cantat dulcis *alauda* melos.
Officio sed functa suo tunc deserit auras,
Fessáque regali nave quiescit avis
Ergo manu capitur, regis pia præda beati,

Et docet, hunc *avibus vela* dedisse *bonis*.

56.

Studiosus dormitator interpellatus respondet.

Quòd anima quiescendo fiat sapiens.

Cùm piger indulget somno, monitoribus inquit,
Nostra *quiescendo* sit *sapiens anima*.

57.

In similem Endymionem.

Providus es, tua quòd tam pandis *lumina* serò,
Luminibus parcis sic sine *luce* tuis.

58.

Emanuelis necessitas pro studio Grammatices.

Grammaticæ studium *tibi* vis succedere rectè?
Est *opus*, ut volvas Emmanuelis *opus*.

59.

Scriba creditores currentes *non malè carentes scribit.*

Debent, qui credunt aliis sine pignore, frustra,
Credita si repetunt, *currere* sæpè diù.
Ergo *currentes* dicuntur jure, *carentes*
Sed dum *scriba* vocas, *parvus hic error* erat.

60.

Idem.

Nõ malè *currentes* ſcripſiſti ſcriba *carentes*,
Tam quia re debent ſæpè *carere* ſuâ.

61.

Menſe Martio interdictum cohabitandi neo-ſponſis tollitur.

Martius eſt, certum cûi debes ſponſa *maritum*,
Hoc niſi ſit factum, ſemper *Aprilis* erat.

62.

Floriſij ridiculi hominis ridiculus riſus Allegoria.

Ut *ridere* ajunt viridantia prata Poëtæ,
Sic *flores rident*, faciunt *ridere* videntes.

63.

Piſcatio ludicra in Comœdia.

Quos iſti ſicco piſcantur in æquore piſces,
Illi non *hamo*, ſed capiuntur *humo*.

64.

Ictus piſcator ſapio.

Mit Schaden wird man witzig.

Ictus piſcator ſapio, nihil ergo novum ſit,
Et meus hac *piſcis ſi ratione* ſapit.

Den Stockfiſch muß man pluyen.

65. Ja-

65.

Jactantia vana ridiculi proci,

Delectum tibi de cunctis ais esse puellis,
Quam *nolis sponsam*, quam vel *habere velis*.
Vera inquis, sed non electio competit illa,
Ut quam tu *velles*, te quoq; sponsa *velit*.

66.

An virginitas amissa sit reparabilis?

Perdita virginitas nõ est reparabilis, inquis,
Berta sed hîc *virgo est*, non licèt esset *ibi*.

67.

In Equicapitium moribus immaturis ridiculum.

Nõ es vulgaris, sed in *ordine* natus *equestri*,
Quod plus est, *equitum* diceris esse *caput*.
Hæ tibi sunt artes, equitare in arundine longa,
Armáque de ligno facta vibrare manu.
Tympana sunt etiam tibi, quæ crepitacula, dicunt,
Princeps Hispanus denique Jure fores,
id est, *infans*.

68.

Transactio ad Sorbonensis Philpsophiæ Arithmeticam justificata.

Altera pars regni dubii non *Cæsaris esto*,
Altera sit Galli, cætera neuter habe.

69.

Symbolum delicati.

Dente puellæ dolens, lacrymæ ſunt ſigna doloris,
Sic dolet à *tenero dente tenella* caro.

70

Sponſa deformis Ectypo pulchro ſalsè utitur.

Quiſquis depictos vultus in imagine ſpectat,
Ultra *naturam* ſurgere ſentit *opus*.

71

Simile.

Quid non *pictori* permittitur atque Poëtæ?
Fit ſubitò *pulcher*, qui modò *turpis* erat.

72.

Xeuxes pictor deformem anum pingens ab ejus conſpectu riſu emoritur.

Infelix pictor, faciem cùm pingis anilem,
Hæc tibi dat riſum, ſed dedit iſte necem.
Deterius pictâ potuítne quid eſſe tabellâ?
Picta necavit *anus*, *viva quid ergo poteſt*?

73.

Idem.

Immoreris riſu fronti, quam pingis, anili,
Quid faceret, quando viva fuiſſet *anus*.

74.

Aurigatio infelix ad aurigam.

Junctо carpento nec it *ultrò citróve* caballus,

Eſt

Est ergo verum, quòd *benè res tua stat*..

75.

Sacerdos oblongus & pius longior in Sacrificio Missæ.

Convenienter agis, quòd ad *aras* longiùs *oras*,
Sublimẽ mystam non decet esse *brevem*.

76.

Alter curtus priori dissimilis est.

Si *friges*, *breviter brevis* ipse operaris ad *aras*,
Si *ferves*, non tam *fervidus* esse soles.

77.

Simile.

Tam citò quandò litas, causam non credo *teporem*,
Sed neque *fervorem*, vis causam discere? *frigus*.

78

Pacio mortuo ad hæredes litigantes.

Horrida bella cano vobis, quia mortua *pax* est,
Nunc post fata *tamen*, *Pax* requiescat *amen*.

79.

Ejusdem Epitaphium.

Siste Gradum.

Pax sine *pace* fui, dum vixi, mortua sed nunc

Ut *Pax* pace ſruar, tu *prece* fac & *aquâ*.

80.

Aliud.

Pax ſine pace fuit, dum vixit, mortua tandẽ,
Hic in *pace bona* Pax requieſcit humi.

81.

Alveus luſorius calamò ſcitè pictus.

Fortunata manus, capit à te *teſſera leges*,
Dicite *fortunæ ludus*, an *artis* hic eſt?

82. *Idem.*

Ingenium, geniúmq; ſui fert *bella tabellæ*
Artificis, pariter *ſorte* vel *arte* valet.

83.

Bembus deformis in tabella pulcher depingitur.

Turpis erat, nunc pulcher is eſt, referente tabellâ,
Ipſam *naturam* quàm procul *ars ſuperat*!

84. *Idem.*

Mentiri licitum eſt *pictoribus atque Poëtis*,
Hinc tua te pulchrum picta tabella facit.

85. *Aliud.*

Nullus in arte fuit, dum pulcher pingitur, *error*,
Omnis *naturæ*, qui fuit error, erat.

86.

Suevus jocanti amico.

Sincerum *Suevum* renò teſtabitur *ævum*,

Nön opus est *ligulis*, me tibi jungit *amor*.

87.

Indocti promotio conveniens.

Octavo Junii meruisti Brute *coronam*,
Nam data tunc asino cuique *corona fuit*.

88.

Electio dubia morte adversarii confirmatur.

Quæstio mota fuit, valeátne electio facta?
Acriter hinc illinc res agitata fuit.
Sed liquidum jus est, affirmativa probatur,
Illius en *testis mortuus ipse* fuit.

89.

Cæcitas miserabilis.

Ein blinder Mann/ ein armer Mann.
Non videat cæli *miser* ergo lumina *cæcus*!
Sed benè, quòd mala sic, non videt ipse, sua.

90.

Stomachus delicatus jejunium nauseat.

Non sapiunt pisces, *carnem* natura requirit,
Carneus est, dentes, os, stomachúsque dolent:

91.

Author jejunus non sapit palato litterato.

Nec *textus*, neque *lex* sine *textu* aut *lege* probatur,
Nec benè *jejunum jus* sine *jure* sapit.

92. Ra-

92.

Rara fides hujus ævi.

Qui facilè credit, facilè dicipitur.
Tu cave! ne fidas, quamvis lactabere *dictis*,
Decipitur *verbis* qui putat eſſe *fidem*.

93.

Imago impura Chriſtianis oculis indigna.

Naturam nudam nimis exprimit iſta tabella,
Solus āb arte procul *ſpiritus aptus abeſt*.

94.

Indoles mira canis caupones & chirurgos faſtidientis.

Caupones odit ſtichulus canis atque *chirurgos*,
Forſan *tonſorum* læſus ab enſe fuit.

95.

Aliorum Medicus ipſe ulceribus ſcatet.

Cæcus es in propriis, alieni cenſor iniquus,
Criminis in propriũ lumina ſtringe ſinum.

96.

Magnates rarò libenter ſolvunt.

Quòd multi ſoleant Domini malè ſolvere magni,
Non eſt cauſa *minus*, ſed dare ſæpê *minus*.

97.

Furi majori parcitur, & minor suspenditur.

Kleine Dieb last man hencken /
Und die grosse last man lauffen.

Fur minor in furcam, *salvis majoribus*, exit,
Supra majores est *minor* ergo *suos*.

98.

Dicta regula falsa esse ostenditur.

Salvari fures majores, regula falsa est,
Ne *major* fiat, nunc luit ipse *minor*.

99.

Cajus Ludimagister cum probro publicus lusor fit, vulgò Schulderer.

Cajus nunc *lusor*, qui *ludi* erat ante *magister*,
Publicus est factus, quod fuit antè, manet.

100.

In Zoilum.

Zoile rodendo dentes cave lædere, linguâ
Utere, sic facies mollius officium.

FINIS.

Gratulatio Ironica : & ve
tica. Ad electionem & Co
næ Regiæ

1.

Eſt ſtrata & ſupplex — —
Nunc aquila duplex — —
fruſtratur petitis — —
cadítque cupitis — —

2.

Coronam Romanam — —
non tuli : ſpem vanã ! — —
Auſtriacæ gentis — —
Sors fletur lamentis. — —

3.

Sunt irrita tota — —
Germaniæ vota — —
Rex Dalmata meras — —
Sperabat chymeras — —

4.

Auſtriaca vitis — —
decreſcit anditis ? — —
Eſt nova lux orta — —
In Turcica porta. — —

5.

O floreat fortis ... ...
Res Turcicæ ſortis ... ...
hæc noſtra ſunt vota, ...
Sunt firma immota, ...

ra germano-musico-Poë-
ronationem Sacræ Roma-
Majestatis.

6.

— — Gens barbara dura,
— — Est sui secura,
— — Improspera nunquam,
— — Infausta nequaquam.

7.

— — Fert ea videte,
— — Fert jubila lætè,
— — En novos decores,
— — ad Turcicas fores.

8.

— — Molimina gentis,
— — beantur eventis,
— — delicias legit,
— — qui Gallias regit.

9.

— — Est novo vigore,
— — Iam lilium flore.
— — In terra germana,
— — Spes omnis est vana.

10.

--- --- Habspurgica vena,
--- --- occumbat arena,
--- --- Sic voti sim reus,
--- --- Sic annue Deus.

2. Æqui-

2.

Æquivocum per versum vocabulatim retrogradum.

Sic Cæsari invictissimo Gallus.
Duplex mente retrò, non tibi fit *suplex.*

NB. licent

Contra sic Cæsari Augustissimo Germanus.
Suplex fio tibi, non retrò, mente duplex;

3.

Ad Sacram Cæsaream Majestatem Patriæ Patrem.

Es Pater Imperii, ac populi spes unica, Regni
Gloria, pes patriæ, flos, rosa, deliciæ.

Vèrtatur carmen.
Deliciæ, rosa, flos, patriæ pes, gloria Regni,
Unica spes populi, ac Imperii Pater es.

4.

Ad eandem.

Non Leo, sed mitis Leopolde vocaberis *agnus*,
Est fera nulla *piis* hostia digna Diis.

5.

Leopoldus Augustissimus Imperator Romanorum magno major est

Extollit *magnum* jactatrix Gallia *Regem*,
vel Præ-

Prædicat ore ſuum Ludovicum Gallia magnum,
Sed magnô major Maxime Cæſar eris:

6.

Auguſta Auguſtæ Vindelicorum coronatur.

Accipit *Auguſtæ* jam pridem digna coronâ,
Tam benè conveniens non locus alter erat.
Reddita per Dominam fuit urbs *auguſtior*: illa
Jam Matri nomen debet: ut antè Patri.
Ergo bis *Auguſtâ* quid nunc *auguſtius* urbe?
Una ter *Auguſta* eſt *urbe* vel *orbe* prior.

7. *Aliud.*

Auguſtæ nomen quid ni fœcunda meretur?
Auget enim Imperium fertilitate parens.

8.

Vaticinium.

Sereniſſimo Regi Hungariæ Ioſepho Archi-Duci Auſtriæ antè Electionem ad Romano-Regiam dignitatem editum.

Logo: Chrono: cancrinum:

InDVbIVs foVet hVnCeVentVs, pVLChrIor ortVs
sIDerIs ILLVXIt, LVX noVa ConſpICI. tVr.

Anno 1689.
oC-

OCCIDVIs nItet hIC terrIs CaptIVrVs habenas,
CretVs pro terrIs IVs Dare TeVtI CoLIs.
Anno 1689.

SVſpICItVr bona Mens pLebêIs & patrIbVs, apta
granDIbVs, Ignea frons, & VIgor IngenItVs.
Anno 1989.

ErIgItVr CapVt, In VotIs sIt DaLMata, faXInt
Athera, Io faVſtos Is regat egreglè.
Anno 1689.

Progenies ſaCra: pLVs fatVM, sæIo Certa, reqVIrIt,
Regna tIbI VenIent, LaVs tVa ConCILIat.
Anno 1689.

HoC VenIt aVgVrIo: ſors perſtat fLorIDa, regnat
AVſtrIa gerManos; ſVnt benè res! age ReX.
Anno 1689.

Converſum ſic rètrò legatur.

ConſpICItVr noVa LVX, ILLVXIt sIDerIs ortVs
pVLChrIor, eVentVs hVnC foVet InDVbIVs.
reVtI CoLIs Dare IVs terrIs pro CretVs habenas
CaptVrVs terrIs hIC nItet oCCIDVIs.

In-

INGENITVS VIGOR, & frons Ignea, granDIbVs apta,
patrIbVs & pLebeIs Mens bona sVspICItVr.
EGREGIè regat Is, faVstos, Io æthera faXInt,
DaLMata sIt VotIs, In CapVt erIgItVr.
CONCILIat tVa LaVs, venIent tIbI regna: reqVIrIt
Certa sCIo, fatVM pLVs: saCra progenIes.
REX age! res benè sVnt, gerManos AVstrIa regnat,
fLorIDa perstat sors: aVgVrio VenIt honor.

9.

Gratulatio Eidem in Romanorum Regem electo.

LOGO: CHRONO: CANCRINA.

AVstrIaCVs DeCor es, Dent Læto VIVere LVCes
æthera LongæVas, sIC benè VatICInor.
Anno 1690.

EGREGIVs gregIs es prInCeps, DefensOr oVILIs,
MItIs reX, patrIæ VIs, petra TeVtonIæ.
Anno 1690.

INVaLIDo VIgor es, MIserIs serVator, egeno
proVIsor, fessIs es IVgIs aLLeVIans.
Anno 1690.

oDrIsIIs tIgrIs es VexatIs, gLorIa regnIs,
gratIa sVbIeCtIs, Vt nItor IMperIIs.
Anno 1600.

VeroLogI bona res DIVInatorIs, honores
regIs fers, saLVe reX noVe roMVLeon.
Anno 1690.

Converſum ſic retrò legatur.

VatICInor benè sIC, LongæVas æthera
LVCes
VIVere Læto Dent, es DeCor AVſtrIaCVs.
TeVtonIæ petra, VIs patrIæ, reX MItIs,
oVILIs
Defenſor, prInCeps es gregIs egregIVs
ALLeVItans IVgIs es feſsIs, proVIſor e-
geno,
serVator MIserIs, es VIgor InVaLIDo-
IMperIIs nItor, Vt sVbIeCtIs gratIa, regnIs
gLorIa, VexatIs es tIgrIs oDrIsIIs.
roMVLeon noVe reX, saLVe, fers regIs
honores,
DIVInatorIs res bona VeroLogI.

10.

Eidem aliud Vaticinium. Ita Gallus.

Fatidicum cape Rex: fruſtraris Teutone
ſceptro
Dalmata: non votis res ſua conveniet.

Germanus invertit carmen & omen.

Conveniet ſua res votis: non Dalmata
ſceptro
Teutone fruſtraris; Rex cape fatidicum.

11.

Aliud.

El ch ſubi n bl
igeris arus ectis omine andó
Er cl perf - - d
Ro r ſc regen thr
manum ectus ande do onum
hu pectus pande proban b

Ita legatur.

Eligeris charus ſubjectis, nomine blando,
Erigeris clarus: perfectis omine dando
Romanum rectus ſcande regendo thronum
Humanũ pectus pande probando bonum.

12.

Similis Gratulatio.

T t g i rever ad
e otæ entes unctæ enter orant
d v m c ferv hon
r mo o vo h inunc ad
e re re vent oſpes tus es
v -- in amo fa ſ ama av

Sic legatur.

Te totæ gentes junctæ reverenter adorant,
Devotæ mentes cunctæ ferventer honorant,
Re, more, ore vovent: hospes inunctus ades,
Verè in amore favent: sospes amatus aves.

13.

Alind.

Regna futura tibi dum somnia læta revelant,
Auguriúmque polo significante capis.
In circo steterant flexu venerante manipli,
Qui segetes visi sunt coluisse ruas.
Iosepho sic flexa jacet Germania *circo*,
Atq; sacros humilis volvitur ante pedes.
Integer ordo venit *Circlorum*, collige vota,
Submittunt Regi subdita colla novo.
Ergo Rex vivat Romanus & imperet! ipse
Pro *centro* Circlis charus *ocellus* erit.

14.

Logogryphus Austriæ perfectionem denotans.

Aucta Viret Semper, perficiétque TRIA.

15.

Invitatio Suæ Majestatis Romano-Regiæ Sponsæ in totam Provinciam, per versum ultrò, citróque de littera ad litteram gradientem.

Sal-

Salva ſubi ſedes, auram, arva, ſed eſibus aulas.

16.

Sereniſſimis Neo-nubentibus Romano Regiis ſponſis.

Clau h tha d e lec i
ditur oc lamo ux t tiſſima uncta
plau h ca L de læ c
læ conjug perfic am d
tum ium e ata ies
fœ connub férque be qu

Ita legatur.

Claudítur hoc thalamo Dux & lectiſſima juncta,
Plauditur hoc calamo lux det lætiſſima cuncta,
Lætum conjugium perfice amata dies
Fœtum connubium férque beata quies.

17.

Iiſdem aliud.

Chron: Acronicon.

Vos ConneXIt aMor, neXos qVoqVe DILIgat aXIs.
Aſtra *regent*, natos ne bona fata *negent*.

18.

Auſtria
Sereniſſimæ Sponſæ Regiæ
per Verſum cancrinum.

Aura nitet, ſi ſe re verè ſiſtet in arva.

19.

Iiſdem Sereniſſimis Neo-Sponſis Regiis.
Super annulo Sponſalitio.

Sic fortuna ſuum ſine fine perennet in orbem,
Innumeros *annos annulus* unus habet.

20.

Iiſdem.

Vivite cum ſertis, quæ gloria nectit, amóre;
que,
Veſtris *laureolis* nulla *coronis* ineſt.

21.

Aliud.

Applaudunt populi millenis vocibus, unam
Lactantis vocem, da modò ſponſa viro.
Ex ore lactantium perficiam laudes.

22.

Aliud.

Uno perfectum trinum reddetur in *anno*,
Et dabit echonem *parvus* amoris *amor*.
Scilicet incipiet fletu depoſcere *mammas*,
Sed tunc pro *mamma* dulce ſonabit *Ama*.

23.

Aliud.

Quod nunc eſt unum, quondam duo corda fuêre,
Unũ ut *cor* maneant, ſint *tria corda* brevi.

24.

Aliud.

Unam *fœcundent* Superi, ſed utrúmque *je-cundent*,
Sic venient tandem *trina beata* foras.

25.

Natalitium
Sereniſſimo Archiduci Auſtriæ Carolo Infanti Hiſpaniæ nato.

In ſpes ingentes ſate creſce Leonibus *Infans*,
Ut reſonet toto nomen in orbe tuum.

26.

Receptâ Budâ claves ad portam Ottomanicam reperiuntur.

Partapotens (cùm capta Buda eſt) victoria claves
Tradidit ad *Portam*, factáq; *Porta patens.*

27.

Sereniſſimo Duci Carolo Lotharingio glorioſo Victori

Cancrinum.

Sitl referet ramos, inniſo marte refertis,

Versus est perfectè retrogradus.

28.

Eidem.

Austriadum domus hanc exsciſſis hostibus urbem
Viribus expugnat, stans Duce Bullonio.

Vertatur.

Bullonio duce stans, expugnat viribus urbem
Hostibus exsciſſis hanc Domus Austriadum.

29.

Aliud.

Dux est *Lux*, tristem at tibi fert *trux* barbarè noctem,
Sic *lunam* obscurat Sole oriente *Dies*.

30.

Eidem.

Ob Budam subactam.

Arcum armis arces, atque arctas acriter arcem,
Arte, animis, audax, ac animosus agis.

31.

Eidem.

Ob Albam Græcam receptam.

VIrIbVs oCtIDVIs bIstrInIs eXVIt ALbaM:
Anno 1688.

32.

Votum Turcarum & Christianorum pro Serenissimo Duce Lotharingio.

Votum Turcarum.

Dispereat citò, nec longævo gloria duret
Tempore, Dux Lotharûm, quam tibi con-
cilias,
Deproperet tua mors, non vitam vivere
longam,
Sidera te faxint. Sic tibi concinimus.

Votum Christianorum.

Inverso carmine & sensu.

Concilias tibi quam, Lotharûm Dux, tem-
pore duret
Gloria longævo, nec citò dispereat.
Concinimus tibi sic: faxint te sidera long
Vivere vitam, nec mors tua deproperet,

33.

Serenissimus Princeps Electoralis Bavariæ Iosephus Sextâ Februarij Anno 1699. immatura morte defungitur.

Versus annum, mensem, & diem
indicat.

DVX pLaCIDè seXtâ febrVarII eXsVrgIt
aD astra.

Pentametro acronico.

Poëta Regium Principem immaturâ morte defunctum luget.

Proh pereat *spes*, *pes* ! & retrò *res* abeat !

34. *Eidem.*

Proh dolor in parvo cecidit spes magna puello !

Spes mea, *pes*, petra, *res* heu simul, heu cinis *es*!

35.

Pro Domo Cæsaris certant astra.

Certant pro gratâ Cæsaris astra DoMo.

36. Anno 1701.

Amicus amico. versu cancrino.

Res mea, res tua sit, res tua, res mea sit.

Vel

Sit mea res, tua res, sit tua res, mea res.

Vel

Sunt tua, quæ mea sunt, sunt mea, quæ tua sunt.

37. *Aliud.*

Cor tibi transmitto, sic tu (volo) mitte mihi cor,

Res mea sit tua res, res tua sit mea res.

Verte

Cor mihi mitte (volo) tu, sic transmitto tibi cor,

Res mea sit tua res, res tua sit mea res.

38.

Pax brevi fiet.

Spem modò concipimus, parvo quòd tempore bella

Fœdere ceſſabunt : hoc Deus efficiet.

Verte.

Efficiet Deus hoc : ceſſebunt fœdere bella
Tempore quòd parvo , concipimus modò ſpem.

39.

Vaticinium

Guilielmo N. editum.

Fatidicus tibi ſum, ſperatũ tempore cinget
Nobile tegmentum, nec pigra ſtat tua ſors.

Verte.

Sors tua ſtat pigra , nec tegmentum nobile cinget
Tempora ſperatum, ſum tibi fatidicus.

40.

Sereniſſimi Sponſi Maximilianus & Thereſia par ſibi par.

TaLI erat ore raCheL , & sIC IaCobVs aMatVs:
EX ortV , eX ſpeCIe , par ferè LVCe parI. Anno 1695.

41.

Ezelio Amico. Pro Xenio.

VotIs sIC XenIVM, totIs Ita VIrIbVs optO,
EzeLIo DeVs, & fors benè proſperItent. Anno 1694.

Verte.

ProſperItent benè fors & DeVs EzeLIo

42.

42.

Votum pro Xenio.

Sic tibi vota fero, frater sic opto Deus det,
Perpetuis benè ter sit tibi temporibus.

Verte.

Det Deus opto sic frater, fero vota tibi sic,
Temporibus tibi sit ter benè perpetuis.

Vel

Det De'opto simul,frarer,fero vota tibi sic,
Perpetuis malè ne sit tibi temporibus.

Verte.

Sic tibi vota fero, frater, simul opto ,Deus det ,
Temporibus tibi sit ne malè perpetuis.

Justitia armata. per cancrinum.

Sola manu terret, terret una malos.

43.

Fons Gratitudinis. Versus logochronici.

Fons noVVs In seDes saLiet sVper astra beatas,
seMper, Vt eX Vena grata recVrrat aqVa.

1690.

44.

Mensibus Julio & Augusto Cæsar Invictissimus Gallos bis triumphat.

CæsareoMensI DebebIs gaLLIa fines. 1704.
Cæsar In ense ferIt, gaLLIa daMna gerit. 1704.

FINIS.

B S B
MÜNCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Böcken, Johann Caspar von,

Epigrammata Miscellanea Decades septem

Salisburgum 1705
P.o.lat. 234#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10608816-6
VD18 14406918-001